



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Liber Quintus Comparatio Summi Pontificis cum Concilio Generali
occasione secundae propositionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

LIBER QUINTUS

Comparatio Summi Pontificis cum
Concilio Generali occasione se-
cundæ propositionis ; scilicet:

Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri suc-
cessoribus Christi Vicariis rerum spiritualium
plenam potestatem, ut simul valeant, atque
immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi
Constantiensis à Sede Apostolicâ comprobata,
ipsos Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu con-
firmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ Religione
custodita Decreta de autoritate Conciliorum generalium,
quæ sess. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicanâ
Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubiæ sint auto-
ritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad so-
lum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

CAPUT PRIMUM.

Summarium hujus secundæ propositionis examen.

1. **I**llustrissimus Petrus de Marca quæstionem de compara-
tione Summi Pontificis cum Concilio generali à li-
bertatibus Ecclesiæ Gallicanæ alienam, & ad invidiam illis,
quàm ad autoritatem conciliandam aptiorem, adeoque præ-
termittendam sentiebat; *Qui Romani Pontificis*, inquit lib. 3.
cap. 7. num. 1. odium in has libertates concitant, id præcipue urgent, eas
aliâ ratione constare non posse, quàm Apostolicæ Sedis dignitate in eo maxime
inmi-

imminuta, quod Pontifex Concilii generalis auctoritati subijciatur. Non est quod hanc in ea regula, quae Romanis stomachum movet, & quae rebus nostris non prospicit, ut par est. Fruatur Summus Pontifex aut aequo iure cum Conciliis generalibus, aut superiori: illud unum in foro expendatur, an nova Constitutio, vel novum Rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat. Illustrissimi Episcopi Gallicani e contra hanc quaestionem inter libertates Gallicanas recensent. Ita scilicet oriuntur in dies novi libertatum illarum furculi, aut tempore schismatis, vel diffidiorum inter utramque potestatem nati, & cum schismate, & diffidiis extincti, reviviscunt, prout juvare possunt ad amovenda sanctae Sedis Decreta, quantumvis iusta, & utilia.

2. Mirari profecto libet Episcopos Gallicanos dignitatem Principum temporalium absque ulla necessitate tam fortibus stipasse praedictis, ut Ecclesiasticae potestati nullo unquam casu illam attingere permiserint; Dignitatem autem Pontificiam, absque ulla etiam occasione, libero Conciliorum generalium arbitrio concesserint, eaque ratione sanctiores Pontifices Concilii generalis convocationem omni diligentia, & industria devitandam docuerint; ne forte, si in Concilium Basileensi simile inciderent, ab eoque deponerentur, non ita faciliter, ac feliciter ut Eugenius IV. schismati finem imponerent.

3. Tot, tantaeque sunt Conciliorum generalium utilitates, dummodo in Spiritu sancto legitime congregentur, & congregata legitime perseverent, ut Christianae Religionis, & Ecclesiasticae disciplinae parum studiosus sit, qui ea saepe congregari ex intimo cordis affectu non exoptet. Verum, ut diximus, qui odiosam illam quaestionem de comparatione summi Pontificis cum Concilio importune movent, vel determinare audent, Conciliorum generalium auctoritatem extollentes, illorum convocationi obicem ponunt, metuentibus scilicet summis Pontificibus, ad quos spectat auctoritas, vel cura illa, ne Synodus legitime inchoata in periculosum schisma definat.

4. Sed ut ad propositionem ipsam propius accedamus; Quomodo non inter se pugnant illius partes? Quomodo inesset Apostolicae Sedi potestas plena, si Concilii generalibus subsunt Pontifices

tifices in ea sedentes, etiam extratempus schismatis; scimus B. Petro, & ejus Successoribus commissam pascendarum ovium curam; sed in quo Scripturarum loco ipse Petrus, ejusque Successores legitimi, Conciliorum oecumenicorum Jurisdictioni suppositi sunt? Si Romani Pontifices *Christi Vicarii* sunt, & quidem proximi, & immediati, ut definiuit Concilium Constantiense sess. 43. adversus art. 37. Joan. Wicel, cui, nisi ei, cujus vices gerunt, subjacent? Quomodo est *plena potestas*, quæ ab alterius arbitrio, vel judicio, pendet? Ejus est qui facultatem confert, facultatis usum præscribere, aut si ab altero præscribi voluerit, id clarè significare. Potestatem Romani Pontificis à Christo collatam fuisse negare non audent Franci Catholici; eam plenam esse concedunt Episcopi Parisiis congregati. Debuerunt ergò, sicut in prima propositione, ita in ista secunda, Evangelii loca referre, quibus ducti sunt, idest in quibus Christus B. Petri, ejusque Successorum potestatem, Divinitus traditam, Conciliorum Jurisdictioni subdidit, quantum ad usum, & exercitium.

5. Plurima è contra sunt, quæ suadent Concilia, à quibus absit summus Pontifex legitimus, & indubitatus, auctoritatem Pontificiâ superiorem non habere, sed potius inferiorem. Primò quidem quia secluso summo Pontifice difficile est, ut definiatur Concilium generale. Secundò quia Concilium generale sine assensu Romani Pontificis congregari, vel saltem suis Decretis supremam auctoritatem dare, non potest. Tertio quia clariùs exprimitur in Scripturis sacris summi Pontificis quàm Concilii generalis auctoritas. Quarto quia hanc doctrinam Sanctorum testimonia validiùs confirmant. Sed hæc magis explicanda sunt, atque confirmanda.

6. Quoniam autem potest Concilium generale illud intelligi, aut cui summus Pontifex cum reliquis Prælatiis intersit, aut verò quod, sine summo Pontifice, reliquis dumtaxat constet. Satis patet in declaratione Cleri Gallicani accipi hinc summum Pontificem sine Concilio, illinc Concilium sine summo Pontifice: cum declaratio Decretis Concilii Constantiensis nitatur, quæ aliam sententiam non admittunt.

E c

tunt.

M. C.

De
certatib;
de Gallicani
C III
231

218 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tunt. Itaque in eodem sensu sumenda sunt, quæ in hoc li-
bro dicentur.

7. Quæ tamen vel in hoc, vel in aliis tractabuntur, ejus-
modi erunt, ut sufficiant ad ferendum de alia comparatione
judicium. Sunt enim tria maximè, in quibus potest fieri
comparatio, veritas fidei, ac morum disciplina, & judicium.
Consentiunt Catholici adversus Panormitanum in cap. signi-
ficasti de elect. Concilii œcumenici sententiam de rebus fidei,
ac præceptis generalibus morum, infallibili certitudine gau-
dere. Idem de summo Pontifice in 7. libro probabimus. Nec
ex eo quod Papa Conciliorum verè generalium definitioni-
bus circa fidem derogare non possit, consequitur; Conci-
lium esse Pontifice superius; Nam perinde sequeretur unum
Concilium omnibus posterioribus præminere, cum quæ ab
uno definita sunt, nequeant ab aliis immutari, utpotè quo-
rum sit firmissima veritas. Collatio circa Decreta de disci-
plina, ex doctrina de dispensationibus colligi potest. Constat
enim ex Gallorum praxi, qui plures, & à Canonica Con-
ciliorum disciplina magis exorbitantes dispensationes postu-
lant, eos in summo Pontifice auctoritatem super Decretis
Conciliorum dispensandi agnoscere. Quot enim mihi nume-
rabis in Gallia Episcopos, qui, vel ad retinenda simul plura
Beneficia, vel ad mutandas Sedes, vel aliis de causis, dis-
pensazione non egeant? Denique quod spectat ad judicia,
ex illa quæstione pendet, an possit à Papa ad Concilium ap-
pellari, quam etiam in hoc libro attingemus.

C A P U T I I.

*Quàm sit difficile Concilium generale sine summo Pontifi-
ce definire, ejusque auctoritatem determinare.*

1. **C**oncilium Provinciale aliquando perfectum, & ple-
narium dicitur ut in Can. 16. Concilii Antiocheni,
ubi sic definitur, *perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Me-
tropolitani Antistes.* Ferrandus pro *perfectum* interpretatus est *ple-
narium* n. 144. Breviar. Canon. quo loco Concilium Africanum
vocat

vocat etiam universale. Hæc sunt ejus verba; *Ut Concilium universale non fiat, nisi causa communis, id est totius Africa coegerit; ut Synodus plenaria tunc dicatur, cum Episcopus Metropolitanus adfuerit. Concilium Antiochenum tit. 16. Vocatur etiam universale, Concilium ex tota Africa collectum cap. 19. Canonum Africanorum, si autem ad Concilium universale accedere noluerit, &c. In Gallia simili nomine donatæ sunt Synodi ex pluribus Provinciis congregatæ, ut fidem faciunt Concilium Matisconense secundum, ac Tullense apud Saponarias anno 869. Hujus Canon. 13. his verbis concipitur; Placuit omnibus, ut creditur, instinctu Divino, qui ad universale Concilium in vicinia Tullensium confluxerunt, &c. In Epistola Synodica ad Wenilonem Archiepiscopum hæc etiam leguntur; Episcopi, qui ad universale Concilium in suburbano Tullensi conveniunt, &c. Et in indiculo quibus de rebus Salomonem commoneere debeant. Placuit universali Concilio, &c. Concilium autem Sueffionense tertium anno 866. Epistolâ Synodicâ 2. ad Nicolaum Primum Papam sic scripserat; Sed neque ad generalitatis nostræ Synodum, se quando Apostolatus vestri autoritas nostram fraternitatem pro quibuslibet emergentibus vel imminutibus negotiis aggregandam decernit, &c.*

2. Sed in alio sensu intelligitur Concilium generale, dum ei Summus Pontifex subesse dicitur, nimirum pro Concilio verè generali, hoc est ex universis Orbis Christiani partibus convocatum, quod Joannes Gersonius tom. 1. tract. de potest. Eccles. & de origine juris, & legum edito Constantiæ tempore Concilii generalis, considerat. 12. sic definit, *Concilium generale, est congregatio, legitimâ autoritate facta, ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesie Catholice, nullâ fideli personâ, quæ audiri requirat exclusâ, ad salubriter tractandum, & ordinandum ea, quæ debitum regimen ejusdem Ecclesie in fide, & moribus respiciunt. Definitionem satis huic similem tradit Joannes Major Doctor Parisiensis in cap. 18. Matth. Concilium est congregatio ex omni statu Hierarchico, quorum interest, convocata ab iis, quibus incumbit, ad tractandum communem intentionem de utilitate publica Christiana.*

3. Quocirca plures nascuntur difficultates. Aliqui enim Generales Ordinum, & Abbates, alii alios necessariò vocandos existimant. De Episcopis, inquit Gersonius loco citato, & superioribus Prælati non est dubium, sicut juxta prædicta prædicatum sepius

pius invenitur in prioribus Conciliis, sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus Prelatis, qui sunt Curati, & Hierarcha, neque de illis, qui ad hunc duplicem Prelatorum Ordinem reducuntur, quibus non ex privilegio solo, sed ex statu, & ordinario jure competit animarum cura, quemadmodum sunt multi Abbates, Decani, Praepositi, cum similibus. Et sanè in Concilio Hierosolymitano, quod veluti primum atque aliorum exemplar proponitur, interfuerunt cum Apostolis Presbyteri, & utrorumque nomine conscripta est Epistola, *Apostoli, & Seniores fratres, &c. Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c.*

4. Sed supponamus juxta communiorem, & veriolem sententiam Episcoporum tantum suffragia necessario requiri; ceteros autem non nisi ex privilegio, vel ad consilium dumtaxat vocem habere: dubium supererit de numero Episcoporum. Licet enim juxta communem loquendi modum universale, seu generale non appelletur, quod majorem partem non complectitur: tamen aliqua Concilia reputata sunt generalia, in quibus pauciores, quam in nonnullis particularibus interfuerant Episcopi. Exemplum habemus in Concilio Constantinopolitano tempore S. Damasi Papæ, ac Theodosii senioris Imperatoris.

5. Responderi posset non tam attendi singulorum Episcoporum, quam Provinciarum numerum: sed recurrit difficultas. Nam in dicto Concilio generali plurimæ Provinciæ, scilicet Occidentales, defuerunt. Quid ergo si major Provinciarum pars convenire, aut nolit, aut non possit. Sufficiet, inquires, ut omnes vocatæ sint. Quis credat Galliam ita sentire, quæ tam ægrè Concilia Florentinum, Lateranense quintum, imò & Tridentinum tanquam generalia agnovit, ad quæ certè sciebat vocatos omnes Episcopos Catholicos; quæque constabant ex majori Christianarum Provinciarum parte.

6. Repones Concilia ex acceptatione Ecclesiæ, generalia censeri, sed hæc explicatio Concilii idæam confundit; hæc enim ipsâ ratione non solum Concilia Nationalia, vel Provincialia, sed etiam Diocesana possent generalium nomine gaudere, accedente Ecclesiæ acceptatione: ac frustra Conciliorum generalium potestas tantum extolleretur. Omnis enim eorum autoritas in Ecclesiæ universæ consensum,

nem, quæ sola, si adfit, sufficit absque cujusvis Concilii congregatione, resolveretur.

7. Ex iis, quæ de natura Concilii generalis dicta sunt, colligitur, quàm difficile sit exactam illius definitionem statuere, si ab eo excludatur Summus Pontifex. Quod ideo addo; quia in ea, quam tuemur, sententia, non multi refert, an universi omninò adsint Episcopi, an alii quàm Episcopi: Quinam ex jure; quinam ex privilegio: an per se, an per Procuratorem; an absint sine causa, an cum causa; an invitati impediuntur absentes, an propriâ sponte abstineant; an consentiant omnes, an discrepent; & dum opposita sunt suffragia, an æqualis sit illorum numerus, vel quæ pars major aut minor, imò an Concilium sit verè generale: Cum enim suprema, & infallibilis sit summi Pontificis sententia, eam, ecu regulam semper tutò sequentur fideles.

8. At verò si penes Concilium solum sunt suprema auctoritas, & infallibilitas, incerta sunt omnia, quia dubium est per quos, & quomodo constitui debeat. Primò enim si opus est, ut omnes Episcopi conveniant, & unaquæque pars Ecclesiæ per suum Pastorem repræsentetur, & per universos Pastores, Ecclesia universalis, nullum unquam potuit, aut poterit haberi Concilium œcumenicum, ut evidens est. Imò difficillimum esset majorem partem congregari, ut dicemus alibi. Non repræsentaretur autem Ecclesia, ubi à nemine repræsentaretur pars ejus major.

9. Si vera esset Joannis Gersonii, Joannis Majoris, Jacobi Almaini, & Richerii sententia, scilicet Presbyteros omnes Curatos secundum praxim Concilii Basileensis, cujus meminit testis oculus Cardinalis à Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 3. cap. 14. cujusque inconvenientia enumerat, jus habere non solum præsentia, sed etiam voti, & quidem decisivi; quandonam posset tanta Curatorum copia, cum tantâ Episcoporum multitudine in eundem locum confluere? Quid si præterea etiam Abbates, Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & alii vocandi sint? Concedit quidem Gersonius Concilio, numerum suffragiorum augendi, vel minuendi facultatem. Sed hæc cautio difficultatem minimè tollit, quia sciendum in primis est quid sit illud Concilium, à quo

222 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
suffragia ad minorem numerum reducenda sunt. Cumque istud
incertum sit, nunquam certi esse possumus, an Concilium ve-
rè sit œcumenicum, nisi ex illis omnibus constet, qui afferun-
tur jus habere suffragii.

10. Supponamus autem rerum statum ad eò commodum,
ut convenire facillè possint omnes, quos prædicti scriptores
vocandos censent; si, ut incommoda vitentur, ne dicam
absurdã, quæ in deliberando circa singulas controversias ex
immensã illã hominum multitudine nascerentur, minuendus
sit suffragiorum numerus; cum longè copiosior sit Curato-
rum, non ita negligenter sui ordinis causam illi agent, ut
saltem ex qualibet Diœcesi unum superesse non velint, adeo-
que numero superabunt Episcopos. Vix enim fieri poterit ut
è centam, ducentis, aut multò pluribus Curatis cujuslibet
Diœcesis unus adesse non possit, cum è contra facillè contin-
gat, ut unus Episcopus impediatur. Tunc igitur prævalebit,
ut numerus, ita & sententia Presbyterorum, Episcoporum
iudicio. Licet enim concedamus, cæteris paribus, præfere-
ndum esse Episcoporum suffragium; si Curatorum suffragia
cônsona circa quandam de fide difficultatem longè plura sint,
quàm Episcoporum contrarium judicantium: Nonne major
parstunc Concilium esse censebitur, quantumvis Episcopa-
lis Dignitas longè sit Sacerdotali præstantior? Nam solet in
omnibus Cœtibus judicialibus, pro conclusione sententiæ,
non qualitas, sed numerus suffragiorum, attendi, saltem si
pars una maximo excessu aliàs superet.

11. Si autem in Conciliis servandum sit, ut non majoris
absolutè, sed simul majoris, & sanioris partis debeat senten-
tia prævalere, quemadmodum de aliis Cœtibus insinuat Con-
cilium Lateranensè generale sub Alexandro III. anno 1179.
aut secundùm alios 1180. & expressè docet Textus Juris cap.
Ecclesia vestra, quod est 57. de elect. cum glossa, & Doctori-
bus ibi; quamquam ex hodierna praxi, & omnium scripto-
rum interpretatione, major pars censeatur etiam sanior; quod
inferri videtur ex Concil. Trid. sess. 23. de regul. cap. 6. an
ea erit amplectenda sententia, quam tuebuntur Patriarchæ,
Primates, & Metropolitanì, contradicentibus Episcopis mul-
tò pluribus? Nequaquam, inquires, quia dignitates sunt istæ,
ab

ab Ecclesia instituta, non à Christo; ita & ipse sentio; se-
cus tamen alii. Illustrissimus Petrus de Marca antequam etiana
Metropolitica dignitatem esset adeptus lib. 6. de concord.
cap. 1 n. 3. earum institutionem ad Apostolos referendam pro-
bare conatus est. Idem etiam statuerat lib. 1. cap. 3. num. 2.
Arnulphus Rufæus tractatum de Archiepiscopali dignitate
orditur ab hac præfatione, in qua de jure Divino esse de-
monstrare nititur. *Pro sancto, & felici hujus materie initio quarendum
est, quo jure instituta est Archiepiscopalis autoritas, seu dignitas. Et ut exor-
diatur ab ovo, dicendum videtur, quod non humana adinventione, sed po-
tius Divina quadam constitutione ordinati sunt hi Archiepiscopi Metropolitaniani
respectu suorum suffraganeorum. Hoc probatur jure Divino, Civili, & Ca-
nonico.*

12. Denique in sententia Gersonii, quo gradu majores
Prælati minoribus præstabunt in æstimatione suffragio-
rum? Quot Curatorum vota unius Episcopi sententiam
æquabunt.

13. Ne quis suspicetur, nos animo minuendæ Concilio-
rum autoritatis, difficultates illas de novo excogitasse, qui-
bus impossibile fermè demonstratur, in Gallorum sententia
desinere quid sit Concilium generale: videat Launoium tom. 8.
epist. 11. quæ est ad Claudium Amelinum Parisiensem Cano-
nicum, & Archidiaconum, magnoperè desudantem, ut nu-
merum Conciliorum generalium hætenus habitorum assignet,
varias eorum ex variis Scriptoribus conditiones exponen-
tem; ac tandem interroganti Amico respondere coactum,
difficilè rem posse determinari. Quæ igitur erit fidei nostræ
regula, in illius Scriptoris, & aliorum Gallorum sententia,
qui non errandi privilegium Summo Pontifici adimunt; &
Concilium generale apud quod reponunt, certis nequeunt
notis designare?

V. C.

de Gallia

III
231

CA-

CAPUT III.

De convocacione Conciliorum. An pertineat ad Principes.

1. **C**onvocatio plures effectus habere potest. Primus est ut personæ ex quibus debet Cœtus constare, unum in locum convenient. Secundus, ut licitus sit Cœtus. Tertius, ut ratum sit quod statuerit. Duobus etiam modis fieri potest. Primò per modum consilii vel supplicationis. Secundò per modum præcepti.

2. Equidem si hoc tantum spectetur, ut Episcopi conveniant, parvi refert à quocunque convocentur. Aliquando enim cum ex alia occasione, puta dedicationis alicujus Basilicæ, simul essent, Concilium celebrarunt. Liciti sunt ut plurimum Conventus omnes, qui boni publici causa sunt, possunt tamen ex circumstantiis illiciti evadere, puta si rerum propriam auctoritatem excedentium arbitrium usurpent; si justa legitimi Superioris prohibitiō intercedat; si schismatis, seditionis, scandali, aut alterius mali periculum imminet. Itaque, si seclusis hujusmodi circumstantiis convenirent Episcopi ad tractanda quæcumque ad optimum Ecclesiarum suarum regimen conducunt, solus convocationis defectus culpæ non faceret obnoxios.

3. Veruntamen quemadmodum in statu politico rectum ordinem constare non posse judicatum est, nisi publici Cœtus Superioris alicujus auctoritate convocarentur, scilicet in Civitatibus à Consulibus, aut aliis Magistratibus, in Provinciis à Præfectis, Comitibus verò totius Regni, alicubi etiam univèrsæ Provinciæ, à solo supremo Principe: aded ut qui prætermisso illo ordine sese in Cœtum quasi de Republica tractaturi congregaverint, seditiosi habeantur. Ita in Ecclesia, dum constituti sunt Metropolitanus, Exarchi, & Patriarchæ, præcipua illis collata est auctoritas, ut Episcopus intra Provinciæ, aut Diœcesis fines constitutos, ad Synodum evocarent, qua de re plures extant Canones. Constantinopolitani

litani primi Canon 2. Antiocheni 20. Chalcedonenſis 9. Conſtantinopolitani quarti 17. &c. S. Auguſtinus epiſt. 218. excuſat ſe Viſtorino ad Concilium vocanti, eumque rogat, ut prius cum Xantippo ſuper jure Primatus, & Concilii Episcoporum convocandi, placide componat. Concilium quartum Conſtantinopolitanum can. 17. Patriarcharum in convocandis Conciliis juſ validiſſime confirmat. Huc etiam ſpectat Concilii Antiocheni Canon 20. Chalcedonenſis Canon 9.

4. Quamobrem Deus (quod dictu nefas eſt) minus perfectum in tota Eccleſia, quam Eccleſia ipſa in Provinciis, & Diœceſibus, imò quam Principes in Republica, regimen inſtituiſſet, ſi ordinem, promovendis utiliter vel minimis Cœtibus neceſſarium, pro omnium maximo, Auguſtiſſimo, & ad rectè gubernandam Eccleſiam utiliſſimo, ſcilicet Concilio Oecumenico, neglexiſſet; ut nempe ab aliquo Superiore ex officio convocaretur. Quantum præſtat uni Civitati, Provinciæ, aut Regno Eccleſia univerſa, tanto ſapientiori, & ordinatiori regimine par eſt illam adminiſtrari. Poſtulat autem ordo quod diximus, & quod antiquiſſima comprobavit experientia, ut Conventus nonniſi annuente Superiore celebrentur.

5. Solum igitur ambiſi poſſet, quis ſit ille Superior, cujus autoritate congregari omnium Episcoporum Cœtum oporteat. Imperatorem, ſeu Principem ſæcularem ſolum hæc autoritate præditum docuerunt Hæretici recentiores. *Solum*, inquam, nam & illum hæc autoritate præditum eſſe ſcripſerunt aliqui inter Catholicos. Sed multis abſurdis obnoxius eſt ille Hæreticorum error.

6. Primò enim vel illa poteſtas pertinet ad Principes, in quantum Principes ſunt, aut in quantum Chriſtiani, aut in quantum Principes, & ſimul Chriſtiani. Si in quantum Principes, eâ præditi erant etiam Pagani, Nero, Diocletianus, & alii Eccleſiæ hoſtes, ac ſine illorum autoritate nefas erat congregare Concilium, quod nemo ſanus ſenſerit. In quantum Chriſtiani ſunt, Eccleſiæ Miniſtris, præſertim Episcopis ſubeſſe ac obtemperare debent, non præſſe, aut imperare poſſunt. Conjunctio autem dignitatis Regiæ cum profeſſione Chriſtianâ id unum efficit, ut quâ tanquam Principes

F f

M. C.

225
 certalib;
 de gallicani
 CIII
 731

226 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
pes autoritate pollent, eam tanquam Christiani in exequen-
dis Ecclesiæ, communis omnium fidelium Matris, Decretis
insumant; non autem ut potestatem temporalem ad spiritualia
officia extendant.

7. Secundò non est, nec fuit unquam à tempore, quo in
omnem terram exiit sonus Apostolorum, totus orbis Christia-
nus unico Principi subditus. Penes quem igitur ex multis
erit convocandorum ex omnibus terræ partibus Episcopo-
rum autoritas? Hanc certè uni, etiam Imperatori, alii non
concederent.

8. Tertiò præterquam quod difficile esset, ut omnes con-
fentirent Principes etiam Catholici ad convocandos eos, qui
in sua cujusque ditone essent, quid fieret, si eorum plerique
Infideles essent, aut hæretici, ut contigit, non solum
antequam Constantinus Magnus Christianam fidem amplectere-
retur, sed etiam longè postea, v. g. in fine quinti sæculi,
quando Clodoveus Francorum Rex Baptismum suscepit, quo
tempore observant Historici nullum omninò in orbe univer-
so Catholicum Principem extitisse. Quo igitur modo tunc
compressa fuisset hæresis, si, quod erat facile, Principes non
curassent, ut Episcopi de Religione inter se tractarent: et si
aliundè, ut declararunt Episcopi Gallicani, iudicium Summi
Pontificis non erat infallibile? Nam difficile fuisset totius or-
bis Episcoporum seorsim sententiam rogare; cujus enim fuisset
universa suffragia colligere.

9. Quartò patet adhuc evidentiùs autoritatem illam Prin-
cipibus non competere, si convocatio Decretis robur aliquod
tribuat. Aut enim neganda est distinctio inter utramque po-
testatem, Ecclesiasticam, & sæcularem, quam soli inficiantur
Hæretici, admittunt Catholici, etiam qui sæcularem in
Ecclesiasticæ fines longiùs inferunt, aut sicut sæcularia, &
temporalia, sæculari; ita spiritualia, & Ecclesiastica, Ec-
clesiasticæ, tribuenda sunt. Sicut igitur distincta sunt nego-
tia, ita distinctæ sunt potestates, etiam circa easdem perso-
nas. Non est Principum sæcularium Episcopos in regenda
Ecclesia dirigere, sed ab eis regi. Nec satis est, quod Prælati
Ecclesiastici sint in aliis rebus subiecti Principibus, nisi etiam
tractandorum negotiorum ea conditio sit, ut in iis locum
ha-

habeat secularis jurisdictio. Quia ergo congregandis Cœtibus non tam personarum, quam negotiorum, habenda est ratio, alioquin liceret Summo Pontifici in omnibus Regnis Christianis, quorum est supremus Pastor, Comitia pro expediendis causis civilibus convocare, quod ægrè concederet Politici: Ecclesiasticæ potestatis est, pro Ecclesiasticis rebus Concilia congregare.

10. Quocirca observandum est, quam iniqua sit illorum sententia, qui cum reum læsæ Majestatis Regiæ arbitrentur eum, qui summum Pontificem hujusmodi autoritate præditum affirmaret pro negotiis secularibus, extra Ecclesiasticam ditionem; Principibus tamen temporalibus Jus præter Romani Pontificis assensum Concilia Oecumenica convocandi adscribunt, quasi non solum non distinxerit Christus utriusque potestatis limites, sed etiam Ecclesiasticas personas in negotiis Ecclesiasticis seculari subjecerit, non verò seculares spirituali in rebus secularibus, etiamsi frequenter aliqua Religionis ratio concurrat.

11. Possunt quidem Principes in rebus etiam Ecclesiasticis Episcopos monere, hortari, rogare, non autem cogere. Et si quando pii Principes propter suam dignitatem, vel Episcopi propter reverentiam, præcepta, jussiones, aut similibus nominibus, appellant litteras Principum ad Concilia Episcopos convocantium, non tamen significant specialem aliquam coram Deo imponi Prælati obligationem, ex eo præcisè, quia Princeps jubet; sed ex eo quod justum est, aut necessarium id, quod præcipitur, quamquam ex occasione si præceptum illud prætermitteretur, majoris coram Deo culpæ rei essent Antistites, quia non sine majori negligentia prætermitterent officium, de quo moniti essent. Imò ipsa monentis dignitas majorem argueret negligentiam, adeoque graviolem culpam.

CAPUT IV.

Cur Imperatores olim Concilia convocaverint.

1. **E**T si à facto ad jus non sit necessaria consequentia; non est tamen leve argumentum justitiæ, quod ab exemplo sapientum, & piorum virorum ducitur. Quamobrem concludunt aliqui, jus convocandorum Conciliorum penes Imperatores olim saltem extitisse, quod videamus eorum aliquos, non solum æquitatis, sed etiam Religionis laude conspicuos, v. g. Constantinum, Theodosium Magnum, & Marcianum, hujusmodi Cœtus congregasse, Ecclesiâ non repugnante. Verum si usus illius originem, & causas diligentius inquiramus, comperiemus à facto Imperatorum, ad jus aliquod speciale Principibus sine assensu Ecclesiæ tribuendum, non valere consequentiam.

2. Usus ille à Donatistarum temeritate, ac pertinacia ortum habuit. Cum enim usque ad tempora Constantini Magni Ecclesia per Concilia Provincialia, & Diœcesana, ac per sollicitudinem Pastorum suorum, præsertim summorum, emergentibus necessitatibus providere solita esset; quantum per tempora licebat: Donatistæ schismatici à Constantino Imperatore Judices postularunt adversus Cæcilianum Episcopum Carthaginensem, contra quem schisma conflant. Imperator tres Episcopos ex Galliis Romam misit, ut cum Melchiate Summo Pontifice causam judicarent: quod factum est: habito Romæ Concilio anno 313.

3. Hoc primum Concilium est, cui se Princeps sæcularis immiscuerit, nisi fortè Imperatorem Aurelianum dixeris convocandi Concilii Romani anno 282. adversus Paulum Samosatenum autorem fuisse. Qua de re ita scribit Eusebius histor. Eccles. lib. 7. cap. 30. vers. Vales. *Igitur cum Paulus à recta fide simul, & Episcopatu excidisset, Dominus, ut dictum est, administrationem Antiochenis Ecclesiæ suscepit. Sed cum Paulus è domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet; interpellatus Imperator Aurelianus rectissime hoc negotium disjudicavit, iis Dominum tradi præcipiens, quibus Italici Christiana Religio*

istites, & Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo vir supramemoratus cum summo dedecore per secularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est. Sed hoc Aureliani, factum ad conuocationem Concilii parum videtur pertinere, cum de ea nihil statuerit. Imploratum fuerat ejus auxilium aduersus Episcopum canonicè depositum, ipse auctoritatem suam noluit adhibere, quousque de justitia certior factus esset, retracto particularis, scilicet Antiochenæ, Synodi judicio, per Synodum Romani Pontificis, & aliorum Episcoporum Catholicorum Italiæ, circa cujus conuocationem, tempus, personas, aut modum nihil præscripsit. Sed judicium Romani Pontificis, & aliorum Episcoporum Italiæ curavit exequendum.

4. Ut igitur ad Constantinum redeamus, plura occurrunt in ejus Decreto notatu digna. Primò, non ipse propriâ sponte causam Donatistarum ad se, tanquam vel Judicem, vel Principem, vel aliquam circa Ecclesiastica negotia auctoritatem habentem, traxit; imò illorum judicium ad se non pertinere significauit; nec nisi schismaticorum, qui primùm in Africa apud Anulinum Proconsulem, deinde in Galliis apud Imperatorem ipsum vehementer institerant, importunitate victus, ac pacis studio inductus, animum huic negotio admouit. Id testantur ejus ad Episcopos Concilii Arelatensis verba. *Quoties à me jam ipso improbiſſimis aditionibus suis sunt condignâ responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto. . . . Orabida furoris audacia, &c.*

5. Secundò, etiamsi Donatistæ Judices de Gallia postulassent, ut perhibet illorum libellus supplex ab Optato Mileuitano relatus. *Petimus ut de Gallia nobis Judices dari præcipiat pietas tua.* Tamen Constantinus causæ cognitionem ad Romanum Pontificem, ad quem pertinebat, remisit, adjunctis tribus Episcopis Gallicanis, qui Romam accesserunt.

6. Tertio, Melchiades Romanus Pontifex Constantini mandato non ita se putabat obstrictum, ut cum solis, quos ipse miserat Episcopis, causam judicaret, sed Concilium ipse congregauit, convocatis ex Italia aliis Episcopis, quorum nomina, & Civitates recitat idem Optatus, ac cum iis simul, & cum tribus è Gallia missis, causæ facta est discussio.

W. C.

certalibz
de gallicani
CIII
231

230 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
fio. Itaque constat suam eum, non ab Imperatore delegatam jurisdictionem processisse.

7. Quarto, præcipuas partes in hoc iudicio, ac præsertim in ferenda sententia Melchiades habuit, ut indicant hæc Operati verba; *Cæcilianus omnium supra memoratorum sententis innocens est pronuntiatus; etiam Melchiadu sententiâ, QVA IUDICIUM CLAVSVM EST.* Quæ fuerunt igitur Constantini partes in hoc iudicio? ut scilicet illud ad legitimum Iudicem remitteret. Qui enim Summo Pontifici, ne omnino despicerentur Donatistarum preces, adjuncti sunt, erant de Patriarchatu Romano.

8. Verum, quæ Schismaticorum est pertinacia, non cessarunt huic sententiæ Donatistæ; sed ut ipsismet Constantini verbis Epistolâ ad Vicarium Africæ utar; *Cum res fuissent apud Urbem Romanam ab idoneis, ac probatissimis Viris Episcopis terminata, obnixè, ac pertinaciter respondendum assimaverunt; quod eorum omnis causa non fuisset audita.* Itaque Imperator, ne quis eis superesset conquirendi de parùm maturo negotii examine pretextus, numerosissimum Arelate in Gallia voluit haberi Concilium, Episcopis ex plurimis, remotissimisque Provinciis evocatis, quibus, quæcumque ad iter commodè peragendum erant necessaria, suis ipse sumptibus ministranda curavit anno 314. Hic quidem Constantinus aliquam in convocando Concilio auctoritatem exercuisse visus est; id tamen de consensu S. Sylvestri, qui sancto Melchiadi in Pontificatu successerat, factum fuisse, quis dubitet, quandoquidem sanctus ille Pontifex suos Legatos ad Concilium misit.

9. Sed quæres, cur passus fuerit Sylvester Prædecessoris sui iudicium retractari: respondeo eadem de causa, quâ motus est Constantinus; scilicet ut hæc benignitate frangeretur Donatistarum pertinacia. Constantinum enim non putasse necessariam illam retractationem, verba ejus supra relata satis indicant, & apertius declarat S. Augustinus epist. 162. *Dicit ille, inquit loquens de Constantino, aliud Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, NON QVIA IAM NECESSE ERAT, sed eorum perversitatibus cedens, & omnino cupiens tantam impudentiam cohibere.* Adde quod causa non est delata à Romano Pontifice ad Concilium per appellationem, tanquam ab inferiori Tribunali ad su-

superius. Nam, ut notat Jacobus Sirmundus; *De Synodo Romana murmurasse victos Donatistas, illam accusasse, ac reprehendisse, de illa quæstos esse, multis locis docet Augustinus: AB EA PROVOCASSE nusquam prodium est.*

10. Non est tamen Arelatensis Concilii autoritate compressa Donatistarum perveracitas. Nam Imperatorem appellaverunt, eoque adegerunt, ut ipsemet causam judicaret. Quid igitur mirum si Constantinus eorum gratiâ circa Judicium convocationem aliquid egerit, quod Romani Pontificis iuribus repugnare videatur, cum etiam se Judicem causæ constituerit, licet id sibi non licere multifariam antea significasset: Primò quidem in eo quod, ut inquit S. Augustinus epist. 162. *Non ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, ut DE IUDICIO EPISCOPORVM qui Roma sederant, ipse judicaret.* Secundò, in eo quod ut habet Opertus loco supracitato, & ut scripsit Constantinus ipse in litteris ad Episcopos Concilii Arelatensis, Donatistas appellantes à Concilio Arelatensi acerrimè perstrinxit; *Orabida furoris audacia,* inquit, *SICUT IN CAUSIS GENTILIVM FIERI SOLET, APPELLATIONEM INTERPOSERVNT?* Plura alia sequuntur in dictis litteris, quibus probat se Judicem competentem non esse. Tertio, quia causæ cognitionem non suscepit, nisi à sanctis Antistibus postea veniam petiturus, ut ait S. Augustinus epistolâ 162. jam citatâ.

11. Grassante non ita post in Oriente Arianâ hæresi, tentatis frustra aliis remediis, idem præstitit Constantinus in convocando Nicæam Concilio generali anno 325. quod antea in Arelatensi, ut tradunt communiter Historici. Itaque primum Concilium Oecumenicum convocavit, juvit, promovitque Imperator.

12. Quod ille pro suo erga Religionem, & pacem amore fecerat, Ecclesiâ gaudente, nedum consentiente, subsequentes Imperatores sæpissimè, mali quidem, aut boni hæreticorum fraudibus decepti in Ecclesiæ perniciem; Pii autem in fidei, ac disciplinæ profectum præstiterunt.

13. Causæ igitur, propter quas Ecclesia Imperatoribus Concilia convocantibus non obstitit, istæ fuerunt. Primò cum tempore persecutionum ægrè potuissent celebrari Concilia,

MLC

De
certantibus
Gallie
Gall
231

cilia, quorum, si ritè fiant, maximæ sunt utilitates; ubi Christianus Imperator cœpit non solum permittere, sed & juvare, ac promovere sanctissimos hujusmodi Cœtus, hoc bonum maximo Dei beneficio adscripserunt Antistites: ac fructum exinde proveniente magis attendentes, quàm quæ incommoda futuris temporibus consequi possent, non ita subtiliter inquisierunt, an eâ ratione Principes ultrâ proprios limites excursuri forent, propriæque autoritati vindicaturi, quod à solo Constantini studio erga Religionem, ac publicam quietem cum Ecclesiæ consensu profectum fuisset. Secundo quia Hæretici, & Schismatici, legitimæ superiorum Ecclesiasticorum auctoritati non satis subjecti, Imperatorum erant compefcendi auctoritate, quam ipsi vix adhibuissent, nisi negotia in Synodis à se indictis fuissent tractata. Tertio quia propter Ecclesiarum paupertatem non potuissent Episcopi longa itinera conficere, præsertim ut ex universo Orbe in unum locum ad celebrandum Concilium generale concurrerent, nisi vecturæ, aliisque comœtatu necessariis Principum liberalitas providisset. Quarto Principes ab omnibus Cœtibus admodum numerosis publicæ quieti, ac propriæ dignitati finistram aliquid metuentes, Episcopos, quorum magna erat in plebem potestas, sine suo assensu convenire non permisissent. Quinto Constantini Magni exemplum laudabiliter se imitari posse credebant. Ut id à bonis fieret, propter utilitatem, ut à malis, propter necessitatem, & impediendi difficultatem passa est Ecclesia.

14. Cæterum enim liberam conveniendi facultatem Episcopis de rebus Ecclesiasticis tractaturis competere, nec à Principibus coarctandam esse declararunt, aliquando ipsi etiam Principes, ut capite sequenti videbimus.

CAPUT V.

Concilia generalia, dum certus est, & indubitatus Romanus Pontifex, sine illius assensu legitime congregari non posse.

1. **C**UJUSCUMQUE autoritatis sit Concilium generale, Principum curâ, vel ex communi Episcoporum consensu, congregatum, dum nullus, aut incertus & dubius est Romanus Pontifex, qua dere infra obiter agemus, occasione Concilii Constantiensis, ex professo enim illam tractare non ita pertinet ad susceptum argumentum, unam ex legitimi Concilii conditionibus esse dicimus, ut à legitimo Pontifice, dum talis existit, & agnoscitur, aut saltem non sine illius assensu convocetur.

2. Ea est D. Thomæ sententia, quam quæst. 10. de potentia art. 4. ad 13. exprimit his verbis; *Cujus (Romani Pontificis) autoritate solâ, synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellatur.* Et 2. 2. quæst. 1. art. 10. in corp. Et idè ad solam autoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem.

3. Joannes Gerson eorum Cotiphæus, qui Concilii potestatem tantum extulerunt, lib. de vit. spirit. anim. lect. 3. postquam Papæ superioritatem supra totam Ecclesiam his verbis constituit; *Habet itaque Papa dominium superioritatis à Christo supra totam Ecclesiam, cum plenitudine potestatis in eis, quæ spirituale regimen Ecclesia proprie dictum respiciunt, &c.* Partes hujus potestatis assignat in hunc modum; *De hac potestate sunt JUS CONVOCANDI CONCILIA VNIVERSALIA, Jus determinandi cum Concilio quæstiones fidei per modum articulorum, omnes generaliter obligantium.* Deinde tamen aliquos casus excipit, de quibus inferius.

4. Acriter S. Antoninus hoc Summi Pontificis jus defendit Chronic. par. 3. tit. 2. cap. 3. §. 1. *Nec CONCILIVM ALIVD GENERALE, inquit, POTEST CONGREGARI SINE AVTORITATE ROMANI PONTIFICIS; nec aliquid valet ordinatum in illis,*

G g

233
certalib
la gallicani
G III
#36

234 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
lis, NISI ORDINETVR A PAPA, ut patet distinct. 17. cap. 21. &
per tot. Omnia prædicta dixerunt, & crediderunt omnes sancti Doctores,
& Pontifices tam Græci, quam Latini, & Concilia universalia, que
celebrata sunt tam in Oriente, quam in Occidente, qua fuerunt legitima Con-
cilia, non Conciliabula, & Synagoga Sathana, sicut Concilium Ariminense
celebratum per Arianos, &c.

5. Edmundus Richerius ob deprimendæ Romani Pontificis,
& extollendæ Principum sæcularium autoritatis studium
famosus, fatetur histor. Concil. cap. 1. n. 7. Quod cum
Primatus Petri sit Juris Divini quoad institutionem, certè regulariter, & ordinariè
Synodi generales ABSQVE CONSENSV PAPÆ LEGITIME
FITO CELEBRARI NON DEBENT. Idq; præcis Ecclesiæ primitivæ
demonstrat, & Canon Ecclesiasticus, quem Julius Papa commendat, &c.

6. Hanc ad suam Pontificem autoritatem ita pertinere,
ut sine ejus assensu Concilia generalia congregari non
possint, agnoscit Petrus de Marca lib. 5. cap. 5. num. 4. His
flagitium, inquit, admiserat Dioscorus, quod sine Sedis Apostolicæ autoritate
Synodus Ephesinam perogit. Et cap. 14. num. 1. In septima quæque
Synodo Primatus Romani Pontificis emittitur. Etenim non solius consensus præ-
gativa, dignitasq; Sedis Apostolicæ, sed etiam summa illa autoritas admittitur
est, qua conventibus Ecclesiasticis Concilii Oecumenici robur conferre debet.
Numero autem 8. ex Simeone Metaphraсте ista refert: Quod
Oecumenicum Concilium istud vocari queat, quod nec Romanus Antistes, cuius
autoritatem nullo modo fieri potest, ut res Ecclesiasticæ ad normam dirigantur;
gratum habuit. Idem Petrus de Marca lib. 6. cap. 28. num. 12. hanc tractat materiam, ac num. 15. varia Concilio-
rum genera distinguens, de universalibus disertè pronunciat, quod verissimum est
NON POSSE CONCILIA CELEBRARI ABSQVE SENTENTIA EPISCOPI ROMANI.

7. Totius ovilis Christi curam B. Petro, ejusque successoribus
commissam non nisi Hæretici inficiantur; Cunctis, inquit S. Gregorius lib. 4. epist. 32. Evangelium scientibus liquet, quod
voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum PETRO PRINCIPI APOSTOLO
TOTIVS ECCLESIAE CURA COMMISSA est; ipsi quoque
dicitur; Petre amas me; pasc oves meas; &c. Ecco claves Regni caelestis
accipit; potestas ei ligandi, ac solvendi tribuitur; cura totius Ecclesie
committitur. Concilia igitur generalia, ut optimo Ecclesie regimini
prospiciatur, convocare, ad supremum illum

lum Ecclesiae Pastorem pertinet. Idenim Rectoris officio esse quasi innatum docent, & recta ratio, & omnium societatum tam civilium, quam Ecclesiasticarum praxis, ut quisquis regimini praefectus est, is Coetus convocet, dum publica res exigit, ei que vocanti caeteri obsequi teneantur. Concilium generale ex ejus autoritate indicendum est, qui possit omnibus, qui congregandi sunt praecipere, suoque praeepto illos obligare. Alioquin enim plurimi adesse negligerent, aut contemnerent. Quis autem praeter Romanum Pontificem omnes Episcopos sibi praesertim in rebus Ecclesiasticis, subditos habet?

8. Ideo ex S. Hieronymo inter Apostolos unus electus est, qui caeteris praesert, ut schismatis tolleretur occasio. Sed in congregandis, & celebrandis Conciliis majus est schismatis periculum. Impossibile enim est, vel saltem difficillimum (qui sunt hominum mores) ut Episcopi per totum orbem diffusi consentiant in idem tempus, eundem locum, eundem deliberandi ordinem, & alia, quae ad prosperum Concilii exitum sunt necessaria, nisi multiplicia illa membra sic dispersa, uni capiti colligantur, ejusque motum sequantur. Si tempore magni schismatis aliud contigisse videtur, speciali Divinae providentiae dispositioni, ac quasi miraculo id tribuendum est, in gratiam Fidelium patrato, quorum maxima pars, quis esset legitimus Pontifex, ignorabat. Caeterum enim tot fuerunt tunc temporis dissentiones, contentiones, & discordiae, ut simile miraculum expectandum non sit, nec expetendum; praesertim dum constabit (atque utinam nunquam lateat) quis verus sit Pastor, & verum Ecclesiae universae Caput.

9. Jus illud Summi Pontificis declaratum est jam anno 501. Nam accusato de horrendis, licet falsis, criminibus Symmacho Papa, convocati ad Synodum Episcopi Theodorico Regi exposuerunt, Synodi convocationem ad ipsummet Pontificem, quamvis accusatum pertinere, suggererunt ipsum qui dicebatur impetratus, debuisse Synodum evocare; scientes quia ejus Sedi primam Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde, secuta jussione Domini, Conciliorum venerandorum autoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem. Quid ad haec Theodoricus? Potentissimus Princeps, ipsum quoque

236 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
PAPAM IN COLLIGENDA SYNODO VOLUNTATEM SVAM
LITTERIS DEMONSTRASSE, significavit. Act. Synod. Rom. 3.
sub Symmacho Papa anno 501. Certè si Concilium, in quo
de Papæ accusatione tractandum est, ab ipsomet debet con-
vocari, idque ob *Petri apostoli meritum vel Principatum*, non video quâ
occcasione, quove pretextu possit illi hæc autoritas à Ca-
tholicis negari, quam Rex Arianus agnovit. Dices fortè
non de Concilio generali, sed de Provinciali, vel ad sum-
mum de nationali, hæc dicta fuisse, sed præterquam quod
de re agebatur, quæ Concilium generale postulasset, nec
enim ab inferiori Concilio deponi posse Summum Pontifi-
cem contendunt Galli, rationes, quæ adducuntur, pro om-
nibus Conciliis æqualem vim habent, puta *Petri apostoli meri-
tum vel Principatus, Jusse Domini, singularis in Ecclesiis potestas.*

16. Cùm Imperator Valentinianus ab Episcopis rogetur,
ut liceret Concilium celebrare, respondit, ut refert Zozo-
menus lib. 6. cap. 7. *Mibi, qui sum in sorte plebis, fas non est, tu-
lia curiosus perscrutari? Sacerdotes, quibus ista cura sunt, quocunque volu-
erint loco conveniant, quibus verbis indicaverat, ad Ecclesiasticam
libertatem spectare Conciliorum ad res sacras tractandas con-
gregationem, nec posse Imperatores congregationem, sine
iusta saltem causa prohibere.*

17. In Concilio Chalcedonensi, ut observavit Marca su-
pra relatus, Dioscorus inter Episcopos sedere prohibitus fuit,
quod Synodum generalem fecisset sine autoritate Apostolica
Sedis, quod nunquam licuerat, nunquam factum fuerat.
Acta Concilii Chalcedonensis act. 1. QVOD NVNQVAM FAC-
TVM FVIT, NVNQVAM LICVIT.

12. Denique Concilium Lateranense V. sess. 11. soli Roma-
nò Pontifici hæc vindicat potestatem Constitutione, quæ
incipit; Pastor æternus his verbis; Cùm etiam solum Romanum Pon-
tificem pro tempore existentem, tanquam autoritatem super omnia Concilia ha-
bentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum
plenum jus, & potestatem habere, nedum ex sacra Scriptura testimonio, dicitur
sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum
nostrorum, sacrorumq; Canonum decretis, sed propriâ etiam eorundem Conci-
licum confessione manifestè constat.

13. Casus aliquos excipit Joannes Gerfonius à necessitate

faciendæ à summo Pontifice Conciliorum convocationis; Congregatio, inquit tract. de potest. Eccles. confid. 12. legitimâ auctoritate facta DICITUR REGULARITER A PAPA; sicut sonant Decreta, & Decretales innumera. Excipiuntur tamen tres casus, ubi congregatio Concilii generalis sit legitimè sine Papa. Unus dum desinit esse per mortem naturalem, aut civilem, seu Canonicam, quæ est depositio, vel si cadat in perpetuam maniam, aut si ad eum captivatum non pateat accessus. Alius dum sufficienter requisitus de convocando Concilio, renuit contumaciter in perniciem Ecclesie, præsertim si tangat ipsum. Tertio si Concilium postquam est à Papa legitimè congregatum statuat certum tempus, & locum pro celebrando generali Concilio, sicut infra triennium vel de decennio in decennium, etiam ubi Papa renueret. Fatetur Gersonius regulam esse ut Concilium à summo Pontifice congregetur. Non sunt ergo hinc alii casus excipiendi, quam quos vel lex Divina, vel evidentissimâ ratio præscribit. Dum nullus est Papa vel incertus est, dare operam Episcopi possunt ut eligatur Pastor, quem universa sequatur Ecclesia. Nec aliud quidquam præstari à Concilio posse, docent Auctores non pauci. Ad summum igitur, si electione pendente, vel summo Pontifice impedimento inevitabili detento, quicquam occurreret, quod dilationem remedii non pateretur, Concilium providere posset. At verò dum legitimus, & certus existit Pontifex, ad eum totius Ecclesiæ cura spectat, nec sine illius auctoritate, supremo, & infallibili iudicio aliquid statui potest.

14. Quid ergò, inquires si Papa per negligentiam, vel malitiam bonum Ecclesiæ pessundari permittat? Nonne tunc eo invito congregari Concilium poterit? Poterunt tunc Episcopi monere, urgere, aliisque convenientibus mediis uti, Concilium autem generale Papæ opponere, nihil aliud esset, quam remedium malo pejus adhibere; stratâ scilicet ad schisma, quo sancti Patres docent nihil esse perniciosius, viâ proclivissimâ. Ecquando enim utile fuit Ecclesiæ existenti sine summo Pontifice legitimo, & indubitato, Concilium sine ipso collectum, vel continuatum? Quo tandem desit Concilium Basileense, ex quo tempore schisma conflavit adversus Eugenium IV. Quis fructus Conciliabuli Pisani Ludovici XII. Francorum Regis curâ congregati adversus Julium II. Pontificem, &c. Certè qui Ecclesiam suam super Petrum ædifi-

M. C

22
 certatibus
 le Gallie
 CIII
 231

238 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
catam promisit à portis Inferi non superandam, nunquam
permisit, nec permittet unquam, ut ab ipsius Petri Succes-
soribus ita concutiatur, ut nisi à Concilio generali sine illis,
ac contra illos convocato, fulciatur, continuò ruitura sit. Nec
video qui potuerint Antistites Parisienses cum casum tanto-
perè timere, ut & sine summi Pontificis, & sine Concilii
generalis autoritate, remedium præparare festinaverint.

C A P U T VI.

Respondetur objectionibus Joannis Launoii.

1. **I**llustrissimus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Concil.
cap. 12. quærit, *cujus sit congregare Concilia*, qui titulus
sanè significat, cum non de facto, sed de jure movere quæstio-
nem. Et quia contra hæreticos disputat; Igitur, inquit, con-
venit inter nos, & Adversarios, Concilia Diocesana ab Episcopo, Provincia-
lia ab Archiepiscopo, Nationalia à Patriarcha, vel Primatè convocari debent.
Itaque de Conciliis generalibus disputationem instituit. Quo
circa hanc conclusionem statim ponit; *Catholici munus convocandi
Concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere volunt, sic tamen ut
possit etiam alius Pontifice consentiente, Concilia indicere; quin etiam satis sit,
si indictionem factam, ipse postea ratam habeat, & confirmet. At, si nec ipse
indicat Concilium, nec aliquis alius de ejus mandato vel consensu, nec ipse sal-
tem approbet indictionem, ILLVD NON CONCILIVM, SED CON-
CILIABVLM FORE.* Hæretici autem hujus temporis eam autoritatem Im-
peratori attribuunt. Jus illud deinde sex, aut septem argumentis
probat.

2. Capite autem sequenti solvit Adversariorum argumen-
ta ex eo præcipuè desumpta, quòd prima Concilia fuerint ab
Imperatoribus non à Pontificibus indicta, factum non negat,
imò satis apertè concedit. Sed primò respondet, argumento,
quod vocant ad hominem, scilicet frustra traditiones, aut
consuetudinem ab adversariis allegari, ut qui à traditione,
& consuetudine argumenta efficacia duci posse non admittant,
Secundò, consuetudini, consuetudinem opponendo; *Si enim,*
inquit, *quatuor, aut quinque Concilia Imperatores indixerunt, plura quam*
dantur

duodecim indixerunt Pontifices, ut adversarii etiam fatentur. Tertio, dicendo, nullum esse Concilium generale Catholicum à solo Imperatore indictum, id est sine consensu, & auctoritate Romani Pontificis; quod intelligendum est juxta statutam initio conclusionem, ut Romanus Pontifex saltem approbaverit indictionem.

3. Joannes Launoius huic inter Bellarminum, & Hæreticos controversiæ se ingerens, non solum contra Illustrissimum illum Cardinalem stat, sed eum etiam injuriis afficit, quarum illa videtur gravissima, quod Bellarminus malæ fidei fuerit in referendis testimoniis, quibus utitur. Sed videamus, an ille melioris sit fidei?

4. Decem primis sextæ partis Epistolis certat pro convocatione Conciliorum Imperatoribus asserendâ; sed quâ intentione, mihi perspectum satis non est. Potest enim quintuplex moveri quæstio. Prima de facto, scilicet, utrum Imperatores Concilia convocaverint? Secunda utrum habuerint à se auctoritatem, & jus convocandi? Tertia utrum auctoritatem illam habuerint non consentiente, vel etiam renitente summo Pontifice? Quarta utrum illius convocationis jus Romano Pontifici competat? Quinta utrum ea uti possit sine consensu Principum?

5. Si Launoius primum tantum intendit, ut multiplices quas cumulat auctoritates, suadent, frustra in Bellarminum insurgit, cumque injuriis laceffit. Fatetur enim Bellarminus pluries, etiam in verbis à Launoio relatis, Imperatores de facto prima Concilia convocasse.

6. Si secundum voluit Launoius, certè Theologi partes nullatenus explevit. Cum affirmanti incumbat onus probandi, debuit, ex regulis ab ipso sæpissimè repetitis, aliquo Scripturalo juxta unanimum consensum Patrum accepto, aut traditione probare, jus Concilia convocandi Imperatoribus competere, Scripturæ locus certè nullus est. Traditio Divina, vel Apostolica nulla est. Legimus è contra Apostolos plura Concilia habuisse, quorum convocationi absurdum est supponere intervenisse Principum Christianæ Religionis infensorum consensum, ut nullum sit apud Launoium argumentum negativum (qualia sunt apud ipsum ferè omnia) isto validiùs. Sed forte traditionem appellaret longam illam testimoniorum seriem,

M. C.
De
certalib;
leg. gallicanæ
CIII
231

240 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
riem, quibus ostendit, Concilia olim ab Imperatoribus con-
vocata fuisse. Sed hæc traditio ad factum pertinet non ad
jus, nec est illa traditio, quam intellexit Concilium Triden-
tinum, à quo suas illas regulas se mutuari falsim profiteretur
Launoius. Loquitur enim Concilium de doctrina à Christo,
vel saltem ab Apostolis ex instinctu, ac præcepto Spiritus
sancti ad nos quasi per manus transmissa; Cujusmodi non
sunt Historiæ convocationis Conciliorum ab Autoribus,
quos citat Launoius, conscriptæ. Accedit, quod traditio
Launoi non est perpetua, & constans in favorem Impera-
torum, ut ipse epistolâ ad Raymundum Formentinum fateri
cogitur his verbis; *Quin generalia Concilia, quæ ante Florentinum ha-
bita sunt, cum Roma, tum in Gallia, Lugduni, & Vienna, tum in Ger-
mania, Constantiæ, & Basilee, Romani Pontificis autoritate indita, &
convocata fuerint, dubitari merito nequit.* Quibus quidem verbis non
excludit expressè Imperatorum autoritatem: sed hinc infe-
res, cujus affectus fuerit in sanctam Sedem Scriptor ille, qui
cum in ejus favorem veritate cogente loquitur, totum quod
vult dicere, dicere nequit. Scopus enim ejus epistolæ (vide
quantum illi debeat sancta Sedes ob prædictam confessionem)
est ostendere, Imperatorem consensisse Concilio Florenti-
no, atque ita quodammodo compensatam veterem discipli-
nam, quâ Principes Concilia convocabant. Cum igitur Lau-
noius Concilium Florentinum anterioribus opponat, tacite
tantum concedit, sed verbis non exprimit, anteriora sine
Imperatoris consensu fuisse convocata, quod certissimum
est, quodque ut Launoius aperte diceret, postulabat ejus in-
stitutum. Denique traditio seu exempla à Launoi adducta,
factum, non jus, de quo est quæstio probant.

7. Tertium, nempe jus illud penes Imperatores fuisse,
non consentiente, vel etiam renitente Summo Pontifice,
cum falsum sit, adhuc magis impossibile est, ut demonstretur
argumento Theologico, siquidem ex regulis Launoi pe-
tendum esset ex *Sacra Scriptura loco, juxta unanimum consensum Pa-
trum accepto, vel ex traditione illa, de qua loquitur Concilium
Tridentinum.*

8. Quæ sit Launoi mens circa quartum, scilicet, an sum-
mus Pontifex habeat jus convocandorum Conciliorum, non
facis

fatis apparet. Videtur id planè negare sub initium primæ Epistolæ 6. tomi; *Premittenda*, inquit, *atque expendenda mihi tria videntur*. Et primum num ex Scriptura sacra convocandarum Synodorum jus, & autoritas, cuiquam, Romano puta Pontifici, vindicari queat. *Vindicari nequit: siquidem Scriptura sacra locus nullus est, qui juxta unanimum consensum Patrum acceptus, uti accipiendum esse Tridentina Fidei regula præscribit, cuiquam id juris & autoritatis asserat*. Sed fortasse his verbis id tantum intellexit, quod pag. 9. dicit; *Personam congregantis Synodum, & Synodi congregationem ad bene, vel malè gestam Synodum pertinere nihil*; Hoc est, ut ipse explicat, non referre à quo congregetur Concilium, ut rectè celebretur. Id adhuc apertius tradit Ep. 8. Ex quo tamen non sequitur, non posse summum Pontificem, dum Ecclesiæ universæ necessitas exigit, Episcopos ad Concilium convocare, illosque non teneri convocanti parere. Doctrina enim esset Religioni perniciosissima. Cum enim aliunde doceat iudicium Papæ in definiendis fidei quætionibus non esse infallibile, quoniam modo sifteretur hæresis grassantis cancer, si Papa non haberet jus, & autoritatem, imò, nec quisquam alius convocandi Concilii generalis, & Episcopi ut facillè contingere posset, si inter se dissentirent, aut etiam major pars convenire detrectaret? Quàm enim ægrè Galli ad Concilium Florentinum, ad Lateranense V. & ad Tridentinum accesserunt, quæ tamen propter suam, & fortè aliorum absentiam, generalia esse negabant, licet omnes generaliter convocati fuissent; Cujus difficultatis causa an in Principes, an in Episcopos referenda sit, non est hujus loci perscrutari. Hoc tantum observo, facillimè impediendam esse Conciliorum congregationem, si nullum sit summo Pontifici convocandi jus, nulla convocanti parendi Episcoporum obligatio. Atque ita periclitaretur Fides, & Religio, inutilis, & otiosa evaderet omnis Romani Pontificis autoritas, apud eos, qui à Romano Pontifice ad generale Concilium appellare licere, vel sentiunt, vel fingunt, ut ejus Decretorum vim eludant, expectantes Concilium, quod sciant non habendum, quodque fortè ipsimet impedituri sint.

9. Verùm non solum jus illud penes Romanum Pontificem esse, ut possit Episcopos ad Concilium cogere, quod

H h

nescio

M. C.
 de
 certatib;
 de Gallicana
 III
 231

242 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
nescio an inficiaretur Launoius, sed etiam, ut sine ipso Con-
cilium cogi non possit, quod Launoius negat, aut saltem vim
in tota Ecclesia non sint habitura ejus Decreta, tum ex jam
dictis colligitur, tum ex dicendis in aliis hujus libri capiti-
bus constabit.

10. Obscura est etiam mens Launoii circa quintum. Cùm
enim in loco supra citato fateatur, saltem tacitè, congregata
fuisse plura Concilia generalia Romani Pontificis autoritate,
sine Imperatorum consensu, autoritatem illam à Principum
consensu liberam esse agnoscere videtur: sed cur in eadem
Epistola contendit in Concilii Florentini Decreto, quo Græ-
ci cum Latinis in mutuam reducuntur concordiam, idè fieri
mentionem consensus Imperatoris, quia sine eo congrega-
tum fuerat Concilium, unde concludit; *Igitur inscriptione tali
compensata est disciplina vetus, quæ generales Synodi octo in Oriente Imperato-
rum jussu celebrata fuerant.* Cur tantùm in octo primis Epistolis
illius tomi desudat in congerendis autoritatibus, quibus
ostendat octo prima Concilia fuisse ab Imperatoribus convo-
cata. Quidquid sit de mente Launoii, ego quidem; licet non
ignorem vix posse de facto haberi Concilium repugnantibus
Principibus, propter eorum potentiam temporalem, certissi-
mum tamen habeo, nullum penes illos jus reponi posse im-
pediendi; quominus dum Ecclesiæ necessitas postulat, Con-
cilium à summo Pontifice congregetur, præsertim in eorum
sententia, qui Papam errori obnoxium faciunt, etsi decissent
aliæ rationes, illa vel sola me convinceret, quod cùm aliis
contigerit, & rursus accidere possit, nullum existere, supre-
mum Principem Catholicum, Ecclesia tunc careret medio
convenientissimo ad confirmandam fidem adversus insurgen-
tes hæreses, si Principum infidelium, aut hæreticorum con-
sensus ad Concilii celebrationem de jure requireretur. Con-
tingit enim frequenter, ut magna Episcoporum pars ab aliis
dissentiret, ac cum ea convenire detrectaret.

CAPUT VII.

Respondetur iis, quæ Launoius Bellarmino specialiter obijcit.

1. Superfunt expendendæ accusationes Launoii contra Bellarminum in epist. 1. tom. 6. contentæ. Hinc enim intelligetur quid de iis sentiendum sit, quæ in aliis Epistolis sparæ sunt; cum ejusdem ferè generis sint. Primò, Bellarminum arguit quod lib. 1. de Concil. cap. 12. statuerit *re vera esse Pontificis, non Imperatoris congregare Synodum generalem, idq; demonstrari posse ex Divinis litteris.* At subdit Launoius; *Gratis, & sine Theologica ratione id dicit;* Nam supra notavimus *Scripturæ locum, nullum adferri posse, qui juxta unanimum consensum Patrum acceptus prout exigit Tridentina fidei professio, demonstrat, quod Bellarminus demonstrandum suscepit.* Similia addit de traditione in secunda accusatione. Perpetuum est istud Launoii Sophisma, Concilii Tridentini sententiam invertens. Ex eo enim quod Concilium contra unanimum consensum Patrum *Scripturam sacram interpretari vetuerit;* Infert ipse, *gratis, & sine Theologica ratione dici, quod Scripturæ loco juxta unanimum consensum Patrum accepto non demonstratur.* Quasi idem esset, prohibere *Scripturam sacram contra unanimum consensum Patrum interpretari;* atque declarare, nulla esse argumenta Theologica, nisi à *Scripturæ loco juxta unanimum consensum Patrum, accepto,* quod jam lib. 3. cap. 11. confutavimus.

2. Commoda omninò est Launoio sua regula, quia cum raro aliquid ex professo adstruendum suscipiat; sed ferè semper aliorum asserta destruere conetur, scopum suum attigisse sibi videtur, ubi negavit extare locum *Scripturæ sacræ juxta unanimum consensum Patrum acceptum, aut traditionem,* atque adeò rationem ullam Theologicam, pro adversarii sui dicto. Idque facilè probat juxta suam methodum allatis plurimis locorum *Scripturæ interpretationibus, & autoritatibus de re illa tacentibus, aut aliud, diversum quidem, sed non contrarium, affirmantibus.*

3. Sufficit Theologo, ut nihil contra unanimum Patrum

consensum affirmet, ut generalibus Patrum effatis argumeta sua conformet, ut conclusiones in traditione, vel in Scripturæ locis, unde illas deducit, contineri, prudenter, rationabiliterque, ex Fidei ac Religionis analogiâ judicentur, qui plus aliquid exigit, Theologiam cum Fide confundit, idque quod à peritis habendum est tanquam certissimum, cum eo quod omnibus fide Divinâ necessariò credendum est. His autem officiis satisfecisse hac in parte Bellarminum perspicier, qui ejus doctrinam æquo animo expenderit.

4. Tertiò Bellarminum accusat, quod *contra Calvinum Ecclesiastica historia nudem, & ignatum in rebus seu veris seu falsis ad hominem disputatis presidium omne constituat. Sed afferenda semper est, inquit, sui momentis veritas, quæ hominum mendacio nunquam indiguit. Sed quod est Bellarmini mendacium à Calvino acceptum. Hæc sunt Bellarmini verba, quæ refert Launoïus, Argumenta Calvinii, & Magdeburgensium sumuntur ex indictionibus primorum Conciliorum, quæ ab Imperatoribus non à Pontificibus indicta fuere. Primam partem admittit Bellarminus, scilicet prima Concilia convocata fuisse ab Imperatoribus: Illudne mendacium à Bellarmino ex Calvinii confessione acceptum vocat Launoïus, in quo confirmando tantum laboris insumpsit? Secundam partem negat Bellarminus, scilicet prima Concilia non fuisse à Pontificibus indicta, eo nimirum modo, quem exprimit in conclusione sua, capite præcedenti posita, sic tamen ut possit etiam alius, Pontifice consentiente, Concilium indicare; Quin etiam satis sit si indictionem factam ipse postea ratam habeat, & confirmet. Illud, mendacium non esse, probat Bellarminus, & probabimus nos in capitibus sequentibus. Et, si mendacium esset, non esset à Calvino acceptum, quandoquidem id à Calvino negatur. Quid autem in hac Bellarmini methodo reprehenditur? An quod utatur argumentis quæ vocantur ad hominem? Num optima illa sunt, dummodo veræ sumatur adversarii sententia, legitimèque deducatur consequentia? Optandum esset, ut prima conditio adeò sincerè observaretur à Launoïo contra Bellarminum disputante, ut à Bellarmino Hæreticos impugnante. An non certior victoria, cum suis se armis hostis perimit? Sed falsa sunt, quæ Adversarius concedit. Non licet certè falsum assumere ad adstruendum falsum: Congruenter tamen affirmationem falsam ab adversario factam disputans*

ei opponit, ut aliam ejusdem falsam assertionem retundat. Neque hoc pacto falsitas approbatur, sed ex falsitatis veneno ab adversario subministrato, adversus aliam falsitatem componitur remedium, quo ille sanetur, alii sani custodiantur. Quanquam ne istud quidem facit Bellarminus, quin falsitatem detegat, contradictionem hæreticorum demonstrans, & singulas falsitates patefaciens. Quod autem Launoius addit; Neque enim Calvinum errare sufficit, sed præterea requiritur, ut Catholici quidam non errent, cum utrimque errari potest; Innuens falsa ab adversariis concessa ad alia falsa confirmanda usurpari, vel eadem, quæ conceduntur acceptari. In Bellarminum id non cadit; Quod ut pateat, reliquas ejus accusationes ordine prosequamur. Cæterum si hæc Launoii contra Bellarminum accusatio refertur ad illud, quod Illustrissimus Cardinalis ex confessione Calvini supponit, Conciliorum Provincialium convocationem ad Metropolitanum, Diœcesanorum ad Patriarcham, aut Exarchum pertinere, atque inde concludit generalium congregationem ad Papam spectare, præterquam quod verissima est doctrina, fuit etiam ab Episcopis Gallicanis tradita. Hincmarus Archiepiscopus Remensis opusc. 55. Caput 20. capit. ait; Sic igitur universales Synodi specialiter Apostolica Sedis autoritate convocantur, & eque Provinciales Canonica Synodi Decreto Sedis Apostolica à Metropolitanis, & Provinciarum Primatibus convocantur, sicut de conlatis clavis Regni Galorum, id est ligandi, & solvendi Pontificio specialiter S. Petro dato, & simul omnibus Apostolis, & in eis Catholicis Episcopis conlato sancta, & universa tenet Ecclesia, &c.

5. Quarto arguit Bellarminum, quod initio capituli 13. dicat; Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas, quasi jam probasset in superiori capite, Nicænum Concilium à Constantino congregatum, atque id tantum ex contrariorum argumentorum solutione superesset confirmandum, quamvis in superiori capite non solum id non probaverit, sed ne verbum quidem de Concilio Nicæno fecerit. Justius nos hic adversus Launoium, quam ipse alibi adversus Bellarminum, aut alios Scriptores; quos ipse Curia Romana mancipia vocat, possemus exclamare. Heu prisca fides! Bellarminus in capite superiori, hoc est 12. lib. 1. de Conciliis, ut ipsemet Launoius in accusatione prima notavit his ipsis verbis, *Questio-*

Hh 3 *ncm.*

neni juris tractat, statuitq; re vera esse Pontificis, non Imperatoris congregare Synodum generalem, Caput autem 13. sic inchoat. *Superest argumenta solvere ex quibus etiam magis confirmabitur veritas*; Illa verba sic accipit Launoius, ut si Bellarminus vellet tantum solvere argumenta negantium Synodum Nicenam à Romano Pontifice congregatam, quasi jam id demonstrasset in capite præcedenti, cum ejus Synodi ne mentio quidem facta sit in illo capite. Id nemo credat de viro prudente, qualis erat Bellarminus, sed nec credere possit qui contradicendi studio non sit excæcatus, si attendat ad illa ipsa verba Bellarmini, quæ refert Launoius ante primam accusationem. Sic enim scribit doctissimus Cardinalis; *Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas. Argumenta Calvinii, & Magdeburgensium sumuntur ex indictionibus primorum Conciliorum, quæ ab Imperatoribus non à Pontificibus indicta fuere. De Nicæno primo ait Ruffinus, &c. Quis præter Launoium lectis his verbis non videat, vel, negare audeat, Bellarminum non argumentis contra convocationem Concilii Nicæni, sed contra jus convocandi Concilia respondere velle?* Primò capitis 12. titulus est; *Solvuntur argumenta Adversariorum.* Initium autem istius capitis est; *Superest argumenta solvere, &c.* Secundò Bellarminus dicit, *Argumenta Calvinii, & Magdeburgensium sumi ex indictionibus primorum Conciliorum; non ergo de convocatione Nicæni, quod primum omnium generalium celebratum est, disputat.* Tertio, Bellarminus ex parte adversariorum enumerationem Conciliorum ab Imperatoribus habitorum inchoat à Concilio Nicæno: non ergo de illo solo est quæstio. Quarto, Bellarminus huic objectioni ex convocatione Concilii Nicæni propositæ respondet, probans eam ex consensu sancti Synodii factam; Non ergò supponit id jam à se in capite præcedenti demonstratum; solumque superesse, ut argumenta in contrarium solvantur.

6. Quintò, Bellarmino, inquit Launoius, *& illius Affectus religio videtur esse quicquam, quod Calvinus, & Magdeburgenses probent non improbare.* Verum id quidem si de rebus intelligatur, quæ ad illorum hæreticorum errores pertinent, non de iis, in quibus rectè senserunt. Novit Bellarminus omnia probare; quod bonum est, tenere; quod malum improbare, ut in loco, &c.

de quo Launoius loquitur, concedit sapientissimus Cardinalis Calvino, & Magdeburgensibus, prima Concilia ab Imperatoribus fuisse convocata; negat ex facto jus sequi, ita ut Summo Pontifici potestas auferatur, & Imperatoribus adjudicetur, congregandorum Conciliorum.

7. Rursus circa sextam accusationem exclamatio Launoii adversus Scriptores Romanos in ipsum retorquenda esset. *Hæc præca fides*; Cum enim Bellarminus tribus autoritatibus, scilicet sextæ Synodi, Damasi, & Ruffini (de quibus omnibus simul dixit, quod à Launoio repetitur; *ex quibus habemus quod volumus*) probasset, Concilium Nicænum habitum fuisse cum consensu Romani Pontificis, Launoius ad ultimam tantum, utpotè cæteris minus expressam, Bellarmini conclusionem refert, quod eam facilius impugnet; sic enim ejus verba glossatur; *Ex quibus habemus quod volumus*, sic Bellarminus. Addit Launoius; *si Ruffini testimonio stetur*. Cum dicere debuisset; si sextæ Synodi, si Damasi, si Ruffini testimonio stetur. Imo bene affectus Lector verba ista potius de aliis, quàm de Ruffino obscurius loquente accipiet. Hanc autem Ruffini autoritatem impugnat Launoius, primò quod Ruffinus non aliud dicat, quàm quod *Constantinus ex Sacerdotum sententia Concilium convocat*; Non exprimens qui fuerint Sacerdotes illi. Secundò quia Epiphanius Ruffino antiquior significat, qui fuerint illi Sacerdotes, Alexandrum Alexandriæ Episcopum nominans. Tertio quia hæc verba Epiphanius studio, & hortatu declarant, quid sibi velint hæc voces apud Ruffinum, *sacerdotum sententia*; scilicet simplex concilium à Sacerdotibus mandatum à Constantino, adhibendum ad congregandum Concilium. Quartò, quia Nicæna Synodus se Constantini Imperatoris mandato coactam esse simpliciter profitetur. Sed primò cur non licuisset Bellarmino Ruffini verba illa, *ex Sacerdotum sententia*, de Romano Pontifice intelligere, cum ratio suadeat Constantinum Principem religiosissimum, & prudentissimum tanti momenti rem non fuisse aggressum, nisi communi consensu cum S. Sylvestro, quem totius Ecclesiæ Caput, & Episcoporum Principem esse non ignorabat; cum sexta Synodus, quam simul cum Ruffino citaverat, dixerit; Constantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse: Cum Gregorius II. quem

Lau-

Launoïus tom. 7. epist. 7. plurimum laudat, in illo ipso Epistolæ posterioris fragmento, quod ibi exscripsit, hæc habeat verba; *Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentianus Magnus, & Constantinus Justiniani Pater, qui sextæ Synodo interfuit, Imperatores isti religiosè imperarunt, & cum Pontificibus uno consilio ac sententiâ Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes sanctas Ecclesias constituerunt, & ornavunt; Secundò Epiphanius Alexandrum Alexandriæ Episcopum nominans, alios non excludit. Tertio, laudabilis illa inter Pontifices, & Imperatores concordia, quam exprimit Gregorius II. in verbis mox relatis, non patiebatur, ut ità subtiliter sua quique jura distinguerent; cum utrique de Fide tantùm ac Religione solliciti essent. Vndè contingere potuit, ut etiam Scriptores non ità scrupulosè verba ponderarent, nec rebus significandis aptiora seligerent. Adde, quod vox, *sententia*, qua utitur Ruffinus, utrumque, & simplex suffragium & iudicium cum autoritate apud probos Scriptores Latinos denotat; Verba verò Epiphaniï, studio, & hortatu Alexandro, cujus specialem fecit mentionem, accomodata sunt. Cùm enim Arius Presbyter Alexandrinus ob suam hæresim ab Alexandro illius urbis Antistite fuisset excommunicatus, nec respisceret, imò plurimos suæ perfidiæ socios haberet, etiam inter Episcopos; optavit Alexander efficacissimum huic malo remedium apponi; Ideoque hortatus est Constantinum, ut Concilium generale celebrandum curaret. Id autem à Constantino sine Sylvestri consensu factum, credere non sinunt, quæ supra diximus. Quarto, neque id consentiente Sylvestro factum negat ipsum Concilium Nicænum, licet sileat. Sophisma est à propositione absoluta, modalem exclusivam inferre; ex eo quod Concilium Nicænum, & Scriptores à Launoïo citati, dicunt, Concilium illud à Constantino convocatum; aut, ut volunt Hæretici, ipsi soli sine assensu summi Pontificis jus convocandi fuisse.*

8. Septimò contra Bellarminum retorquet hæc ejus verba; *Ac primum de Nicæno primo legimus in sexta Synodo Act. 18. Constantinum, & Sylvestrum magnam Synodum apud Nicæam congregasse; Quæ contraria esse dicit ei quod statuerat capite præcedenti; Est revera Pontificis tantum, non Imperatoris congregare generalem Synodum. Hic adhuc*

adhuc desideratur bona fides Launoii. 1. An Bellarminus his verbis capitis 13. intendit probare, quod cap. 12. jam ostenderit; *Esse revera Pontificis tantum, non Imperatoris, congregare generalem Synodum?* Nonne respondet objectioni Hæreticorum, Papam à jure convocandorum Conciliorum excludentium, eò quod Imperatores prima Concilia convocaverint? Cui quidem Hæreticorum argumento tres adhibet responsiones, quarum ultima hæc est; *Tertio dico nullum esse Concilium generale Catholicum, à solo Imperatore indictum, idest sine consensu, & autoritate Romani Pontificis, quod sic probat; Ac primum de Nicæno, &c. quæ supra relata sunt.* Undè clarè liquet, male opponi Bellarmino illa ejus verba; cum non ipse, sed hæretici, quibuscum disputat, argumententur à facto ad jus: Ipse autem è contra concedens Imperatores de facto Concilia convocasse, neget, id eos proprio jure, ac sine consensu Romanorum Pontificum fecisse, quod testatur apertè autoritas illa sextæ Synodi. Optimè autem respondet adversariis suis Bellarminus, etiamsi à facto ad jus valeret consequentia; quandoquidem testatur sexta Synodus Sylvestrum cum Imperatore, non autem solum Imperatorem congregasse Synodum Nicænam. Undè juxta ratiocinationem Hæreticorum, sequeretur saltem juris illius participem esse Romanum Pontificem. Cæterum non attendit Launoius ad ea quæ paulò post refert ex Bellarmino, scilicet, *Concilium generale ab eo indici debet ex autoritate, qui potest omnes cogere: At nullus unquam Imperatorum totam Ecclesiam subjectam habuit.* Si Launoius ad ea attendisset, non puto ausurum fuisse, adhibitâ æquivocatione, Bellarminum exagitare, quasi negasset Imperatores Concilia convocasse, aut statuisset, eum, qui de facto convocat, jure suo convocare. Hæc enim verba *indici ex autoritate* mentem eruditissimi Cardinalis luculenter explicarent, si alias non constaret; nimirum ipsum non de convocatione actuali, sed de jure, & autoritate convocandi agere. Quanquam adversariis suis negat, convocationem actualem sine consensu summi Pontificis fuisse factam. Itaque iniquum est illud convitium quod subjungit Launoius, *ut qui vivit in diem, quid sit futurum cras, non cogitat; sic Bellarminus priore paginâ scribens quid posteriore scripturus sit non prospicit.* Exinde contingit, *ut prior, & posterior recta, & versa pagina mutuis attrita vulneribus concidant, & in eandem ruinam trahantur, &c.*

9. Denique testimonium Damasi Bellarmino non favore contendit; quia hæc verba, *cum Sylvestri consensu*, non denotant auctoritatem convocandi Concilii; Quippè cum cæteris omnibus Episcopis conveniant. Verùm ut supra notavimus, Illustrissimus Cardinalis jam cap. 12. auctoritatem summi Pontificis in convocandis Conciliis demonstraverat. Hic, idest in cap. 13. respondet objectionibus; ita tamen ut ex responsionibus interdum confirmet jam probata. Quamobrem licet hæc verba non ita essent expressa, non periclitatur causa, quæ defenditur, præsertim cum immediatè antè istam auctoritatem positum sit perspicuum Concilii sexti testimonium. Sed ut quid Sylvestri solus fuisset facta mentio, si vox illa, *consensus* nihil aliud innueret, quàm nudam complacentiam, aut approbationem omnibus Episcopis communem?

10. Aliud quod objicit Bellarmino Launoïus; Nempè quod hic tribuat Damaso Pontificale, quod ei in libro de Scripturis Ecclesiasticis non tribuit, plus videtur habere coloris, non tamen plus habet justitiæ conclusio hæc, quam illinc elicit; *Bellarminus igitur peccat dupliciter, & primò quidem contra propriam conscientiam, cum Damaso tribuit librum, quem Damasi non esse novit. Deinde cum liber ille causam non adjuvat.* Nam & Pontificalis auctoritatem causam juvare, jam vidimus; Et temerarium est aliquid dammare peccati contra propriam conscientiam, dum lapsus tribui alii causæ potest, & probabiliter debet. Unde scit Launoïus peccasse contra propriam conscientiam Bellarminum Pontificale illud Damaso adscribentem in libro primo de Conciliis? Fortassis enim cum eum librum scriberet, nondum examinaverat an Damasus esset verus Pontificalis Autor. Fortè licet id jam antea novisset, memoriæ tunc non occurrit; fortasse in ea denominatione vulgari modo loquendi sese accommodare debere credidit. Denique viro admodum pio, qualis ex omnium opinione extitit Bellarminus, seni, ac morti vicino, juranti se nihil falsi scienter scripsisse, fides sine injuria negari non potest, cum de conscientia suæ arcans, quæ soli Deo judicanda reservantur, quorumque solus ipse conscius est, testimonium dicit. *At, inquit Launoïus, in libro de Scripturis Ecclesiasticis Pontificale Damaso non tribuitur.* Ita est, & quidem si eodem tempore Damaso à

Bellarmino fuisset adscriptum, contradictio suspicionem ingereret: Tamen peccati contra propriam conscientiam certam probationem non efficeret, cum potuisset diversitas ex diversis causis oriri; quantum igitur minus cum libri de Conciliis, & de Scriptoribus Ecclesiasticis diversis temporibus editi fuerint. Certè Bellarminus senex, & morti vicinus hunc lapsum reparasset, si ejus sibi conscius fuisset, quando tam accuratè opera sua, solo veritatis amore inductus, recognovit.

C A P U T V I I I.

Concilia generalia sine consensu summi Pontificis habitata non fuisse, vel robur non obtinuisse, ostenditur: & respondetur aliis objectionibus Joannis Launoi.

1. **M**ihi, ut capite sexto dixi, perspicuum non est quàm intentione Launoius tantoperè defudaverit, ut convocationem primorum Conciliorum generalium Imperatoribus vindicaret. Si enim facti tantum veritatem defendere voluit, inutili labore tempus detrivit; cum factum nec tanti sit momenti, nec à quoquam negetur. Si laborem hunc suscepit, ut Papæ jus esse negaret convocandi Concilia, dum ad universæ Ecclesiæ bonum opportuna viderentur, apertam illius Primatui intulit injuriam; cum nihil magis ad Prælati cujusvis sive Politici, sive Ecclesiastici dignitatem, & auctoritatem pertineat, quàm ut eos, quibus præest, convocandi habeat facultatem, dum id recto suo regimini expedire judicaverit. Potestatem illam Metropolitanis, Primatibus, Exarchis, Patriarchisque tribuunt passim Canones, ut non nisi injuriâ summo Pontifici auferri queat. Si in id tantum nixus est quod Epistolâ primâ, & aliis declarat, ut convocationem ostenderet, non esse necessariò aliqua auctoritate faciendam, cur tantam operam contulit, ut Pontifices à primorum convocatione arceret, & eam Imperatoribus solis vindicaret? Accedit quod rem tentavit periculosam, factionibus faventem, quamque in regimen Politicum inferre ausus

252 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
non fuisset. Scio equidem Episcopos aliquando ex communi
consensu convenisse, & ex occasione Concilia celebrasse;
sed vel adfuit, vel saltem subsequutus est assensus eorum, ad
quos convocatio pertinebat; aut factum præter ordinem,
in omni rectè constitutâ Republicâ servari solitum, non de-
bet in exemplum, vel in argumentum juris assumi.

2. Quidquid intenderit Launoius, & alii, quos secutus
est, verum semper est, ob primorum Conciliorum genera-
lium convocationem non posse excludi Summum Pontifi-
cem à convocandi jure; cum nullum habitum sit sine ejus
autoritate, vel assensu; eo scilicet modo, quem explicat
Bellarminus lib. 1. de Concil. cap. 12. *Ut possit etiam alius Pontifex
consentiente, Concilium indicere, quin etiam satis sit si indictionem factam
ipse postea ratam habeat, & confirmet.*

3. Concilia generalia quæcunque in Occidente habita sunt,
usque ad tempus diri, diuturnique schismatis inter Roma-
nos, & Avenionenses Pontifices, solius Romani Pontificis
autoritate indicta, convocataque fuisse neque ipse Launoius
negat. Itaque hæc convocatio Summi Pontificis jus validius
confirmat, quam impugnari possit ex Orientalium convoca-
tione. Cum enim non minoris sint dignitatis posteriora,
quam prima, siquidem omnia Ecclesiam universam repræ-
sentant, clarius elucet Pontificis in Occidentalium, quam
Imperatoris in Orientalium convocatione, autoritas. Illa
enim solus Pontifex congregavit, ista non sine Pontifice
Imperator. Extant de pluribus simul probationes, qualis
est ea, quam superiori capite adduximus ex Gregorio II.
sunt etiam de singulis, sed aliæ aliis magis expressæ, quales
sunt quæ sequuntur.

4. Concilium primum Nicænum à sancto Sylvestro cum
Constantino congregatum fuisse probat testimonium sextæ
Synodi Act. 18. sermone acclamatorio ad Constantinum his
verbis. *Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis magnam, at-
que insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Quantumvis Launoius
conetur tom. 6. Epist. 1. hujus autoritatis pondus imminue-
re, nunquam poterit eam elidere. *Relata verba, inquit, illius sunt
tantum, qui Constantino Imperatori acclamavit anno post Nicænam Synodum
355. Si tantum adverbarentur, quantum favent Pontifici,*
non

non solius acclamantis, sed totius Synodi esse animadvertisset, nec enim aliter sentire potest, quicumque legit, quæ sermonem acclamatorium, in quo continentur, præcedunt; *Ista scilicet; Sanctum Concilium dixit: Piiissime, & tranquillissime Domine, sermonem acclamatorium ad Deo amabilem vestrum Potentatum juxta morem composuimus, & si placuerit pietati vestre, hunc perlegi jubete. Constantinus pius Imperator dixit: Acclamatorius sermo, qui compositus est à sancto vestro Concilio deferatur, & relegatur. Qui delatus est, & in his sermonibus ita relectus est. Concilium dicit, se sermonem composuisse; Constantinus ut à Concilio compositum excipit; Quis mallet Launoio credere dicenti, illius esse tantum qui Constantino Imperatori acclamavit? Hoc certè vel unicum testimonium sufficit ad evertenda quæcunque contra summum Pontificem afferunt, qui ejus autoritatem à primorum Conciliorum generalium convocacione excludunt.*

5. Si Concilium œcumenicum in sermone, cujus non alius est finis, ut nomen ipsum indicat, quàm applaudere, satis sibi videtur honoris Imperatori deferre, dum Imperatorem cum Romano Pontifice conjungit ad congregacionem Concilii; Quis ab illa autoritate Romanum Pontificem audebit excludere? Certè si qua tunc fuisset opinio, quod pertineret ad solum Imperatorem Conciliorum convocacio, non defuisset vir aliquis prudens inter eos, qui sermonem vel legerunt, vel audierunt, antequam coram Constantino pronunciaretur, qui prædicta verba supprimenda esse monuisset; nec ea Imperator, ejusque Officiales neglexissent. At, inquit Launoius prolata sunt 355. annis post Concilium Nicænum; Ergone per illam temporis intercapedinem nulla fuerant habita Concilia generalia, ut non recurrente occasione oblivio delevisset ex omnium Episcoporum, & Imperatorum, eorumque Officialium memoria tam eximium Imperatorum jus? Solius ne Concilii Nicæni convocandi particeps fuit Romanus Pontifex? Adde quod etsi testimonium illud factum non probaret, jus tamen adstrueret, & Concilii œcumenici hac de re sententiam.

6. Chalcedonense Concilium jussu S. Leonis congregatum fuisse declarat Epistola Episcoporum Mœsiæ secundæ ad Leonem Imperatorem, quæ est 32. in 3. parte Actorum ejusdem

Concilii; *Quæ* (Fides) ad peremptionem Eutichiana vesania de humanatione saluatoris in Chalcedonensium Civitate multis sanctis Episcopis convenientibus PER IVSSIONEM LEONIS ROMANI PONTIFICIS, qui verè caput est Episcoporum, & venerabilis sacerdotis, & Patriarchæ Anatolii Concilio celebrato, sub duobus Imperatoribus confirmata est. Licet autem Anatolius cum S. Leone jungatur; præcipua tamen autoritas huic tribuitur verbis illis, qui verè Caput est Episcoporum. Cujuslibet enim Capituli Politici est cætera ejusdem corporis membra colligere: id ipsum indicant Litteræ Imperatoris Marciani ad S. Leonem, quæ habentur in prima parte Actorum illius Concilii num. 34. his verbis; *Superest ut si placuerit tua Beatitudinis in has partes advenire, & synodum celebrare, hoc facere Religionis assidue dignetur.* Et S. Gelasius in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, de Sede Apostolica ait; *Ut synodus Chalcedonensis fieret, sola decerneret.* Ubi hæc vox (sola) aliorum Patriarcharum, non autem Imperatoris interventum excludit. Quin etiam in ipsomet Concilio Chalcedonensi Act. I. Lucentius Apostolicæ Sedis Legatus, & Vicarius, asseruit; *Synodum sine autoritate Sedis Apostolicæ nunquam factam esse, nec fieri licuisse.* Paschasius etiam Legatus addidit, *de his esse Ecclesiasticas regulas, & Patrum instituta.* Quæ tronte in tam numeroso, tamque augusto Cœtu hæc dixissent, nisi fuissent omnino certa. Nam, quod suprâ observavimus, non loquebantur de re tam antiqua ut ex hominum memoria excidisset; aut coram hominibus aded juris sui negligentibus, ut non curarent, aut aded timidis, ut non audent jus indebitum Romano Pontifici tribuentibus contradicere.

7. Octavam Synodum convocatam fuisse ab Hadriano II, Papâ testatur Anastasius Bibliothecarius, qui interfuerat. Quia, inquit in præfatione hujus Concilii, Hadrianum alloquens, *superna providentia, quæ singula singulis ita distinguit temporibus; ut sanctos suos veluti splendentia quedam astra, non pariter, sed vicibus discretis, ad illuminationem Ecclesiæ suæ proferat, Apostolatum vestrum nostris temporibus quasi quoddam fulgidum sydus produxit, cujus tempore, ATQUE AVTORITATE sancta universalis, & magna synodus octava celebraretur.* Et Concilium ipsum in Epistola ad eundem Hadrianum; *Omnipotens Deus, inquit, & Rex universorum, qui PER SOLERTIAM VESTRAM, INTERVENTIONEM, AC IUDICIUM, SEV SYNO-*
DICAM

DICAM EXPOSITIONEM tam magnam, & universalem Synodum congregare dignatus est.

8. Illam Pontificis auctoritatem præ se ferunt verba Epistolæ Hadriani II. ad Imperatorem Basilium respondentis, relata in Act. 1. *Hæc curare cupiens, Apostolica Sedis decreti remedium requisivi Volumus ergo PER VESTRÆ PIETATIS INDVSTRIAM illis numerosum celebrari Concilium.*

9. Dum Launoius à confortio Imperatorum in convocandis Conciliis Pontifices verisimili ratione separari posse diffidit, hoc saltem efficere tentat, ut Imperator primas habeat. Et quamvis (sic inchoat Epistolam octavam tom. 6. *Ut Synodus haberetur octava, inter se penitus consenserint Basilius Imperator, & Hadrianus Pontifex; tamen Synodus, & Hadrianus ipse, Imperatori convocationem tribuunt.* Si æquus esset inter Pontifices, & Principes Launoii animus, nonne hic octavæ Synodi, & Hadriani verba, maxima erga Imperatorem reverentiæ, ejusque dignitati, non potestati tribuenda dixisset, quandoquidem Epist. 9. tom. 7. Zachariæ Papæ dignitati, & non ejus auctoritati adscribit vocem ipsam *autoritas*, & alias huic affines, ut *jussio, mandatum, &c.* quibus utuntur quamplurimi Scriptores, ad significandas summi Pontificis in depositione Childerici à Regno Franciæ, & evectione Pippini, partes. Sed tot extant in ejus operibus, ac præsertim Epistolis, quarum paucissimæ sunt in octo voluminibus, quæ adversus Romanum Pontificem non diriguntur, averſi ejus animi signa, ut legendis illis nemo delectetur, imò Autori ferè non succenseat, nisi qui erga B. Petri Successores malè sit affectus, eorumve dignitatem graviter ferat; Nemo ejus doctrinam, nisi cum cautela, & cum examine, ac justè ponderatam, suscipiat, nisi qui decipi velit.

10. Licet autem non possimus omnia ejus dicta singulatim discutere; quia orationis cursus singulis, quibusque passibus esset interrompendus, neque id necesse sit, cum quæ jam attingimus, aut adhuc tractabimus, satis demonstrent, non dubia esse continuè habenda, quæcunque ille impugnaverit, nec, quæ profert, indiscussè amplectenda: tamen prætermittere non possumus ejus nonam primi tomi epistolam; quæ certè cum aliis quibusdam negati omninò ab eo Primatus

C

22
 certis
 le gallican
 III
 231

256 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tus Romani Pontificis suspicionem ingereret, nisi alibi, præ-
fertim tomi sexti epist. ult. animadversione prima se in ea non
esse sententia, declarasset, quamvis five de industria, five alia
intentione frequenter, ac multum eum imminuerit.

11. Fortasse Launoius, qui tomi septimi epist. 7. Grego-
rium II. in traditione Patrum perquam versatum fuisse, ac Patrum
doctrinæ, ac Sedis Apostolicæ traditioni adhasisse, scribit: Et
merito ut sanctissimum virum laudat, ut probet eum non prohib-
uisse tributa impio Leoni Hauro persolvi: eum traditionis
ignarum dixisset, si attendisset ad illa verba, quæ ipsemet ex
eo refert, quibusque testatur sanctus ille Pontifex; Imperator
cum Pontificibus uno consilio, ac sententia Synodos congregasse: sed quid res-
pondet autoritati jam citatæ Episcoporum, plusquam ducentis
annis, traditionis origini viciniorum. Sensit maximi ponde-
ris esse, ad confirmandum jus Romani Pontificis in convo-
candis Conciliis, Acta Synodi Romanæ tempore Theodoric
Regis, propter Symmachum habitæ; unde ab eorum im-
pugnatione abstinere non potuit, sed quas adhibuit machi-
nas? Non accusat falsi; Quæ illorum fortunata fors est, id
æquo Lectori sufficere arbitror, ut de illorum fide nihil du-
bitet.

12. Actorum Synodi verba sunt ista; Sancta Synodus apud Ur-
bem Romanam ex præcepto gloriosissimi Regis Theodoric diversis ex regionibus con-
gregata in Christi nomine dixit; Cum ex diversis Provinciis ad Urbem Romanam
convenire Sacerdotes Regia præcepisset autoritas, ut de his, quæ venerabili Pa-
pa Symmacho Apostolica Sedis Præsuli ab Adversariis illius dicebantur impo-
gi, sanctum Concilium judicaret legitime, Liguria, Emilia, vel Venetia-
rum Episcopis (quos ad præsentiam Principis ipse itineris ductus attraxit) con-
sulendi Regem incubuit necessitas, quæ hos voluisset ætate fractos, debilitate
corporis invalidos congregari: Respondit præfatus Rex piissimus bona conversa-
tionis affectu, plura ad se de Papa Symmachi actibus horrenda fuisse perita,
& in Synodi oportere, si vera esset inimicorum ejus objectio, judicatione consti-
tare: Memorati Pontifices, quibus allegandi imminerebat occasio, suggererunt
ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus
Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta justitie
Domini Concilliorum venerandorum autoritas singularem in Ecclesiis tradidit po-
testatem, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio in propo-
sitione simili facile forma aliqua testaretur. His Actorum verbis addit

Lat.

Launoius; Memorati Pontifices, qui allegandi Provinciam susceperant, pro Symmachi defensione adferunt duo: convocandam ab eo, qui dicebatur impetius, fuisse Synodum, & Apostolica Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio. Ratio prior nec probatur, nec Theologia, nec Iuris Ecclesiastici principis probari potest. Theologia principia sunt, Scriptura, & Catholica Ecclesia traditio, &c.

13. Neminem fore arbitror qui credat veteres illos Liguriæ, Emiliæ, vel Venetiarum Episcopos, minus quam Launoium, Catholica Ecclesia traditionem tenuisse; minusve penetrasse quam potestatem Romani Pontificis Sedi primùm Beati Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta iustione Domini Conciliorum venerandorum autoritas tradidisset. Adversus Recentiores antiquorum autoritate destitutos traditionem neget Launoius; sed eam tam antiquis Pontificibus ignotam, nescio quomodo ausus sit dicere; cum hoc sit traditionis indicium, aut ejus pars insignis, testimonium scilicet antiquorum Episcoporum, in Conciliis expositum.

14. Hoc etiam ipse sensisse videtur. Sed audi quid reponat; Symmachi defensores ea in re modum excedunt, cum (dicit opinor gratia) sibi sumunt quod Symmachus, cujus refert, vel maxime sibi non sumit. Comoda respondendi ratio. De Launoio verissimè dici potest eum in multis modum excessisse, Episcopis autem de re gravissima tractantibus cum Rege potente, id temerè tribuitur. Notanda est parenthesis (dicit, ut opinor, gratia) quâ possint omnia cludi testimonia; respondendo scilicet dicit gratia fuisse pronuntiata, id est fictè, aut perfunctoriè. At inquit Launoius, non conqueritur (Symmachus) quod Synodum non convocaverit, aut quod eam Theodoricus convocaverit. Egregia objectio! Quomodo posset de congregatione Synodi conqueri, qui, ut congregaretur, Regis postulavit interventum.

15. Si de convocazione à Principe facta conquestus fuisset Symmachus, ejus, ut in propria causa loquentis testimonium vocaretur in suspensionem: nunc autem rejicitur testimonium Episcoporum, etiam contra proprias rationes loquentium. Ad Episcoporum enim dignitatem pertineret, ut juxta Launoii sententiam, à nemine pro ineundis Conciliis penderent. At illi, de quibus est sermo, ita jus illud ad se non pertinere cognoscunt, ut officium indebito præferen-

258 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
tes honori, nolint etiam afferenti Principi, nisi scriptis confirmet, credere assensum Romani Pontificis datum fuisse, ut ab alio præter ipsum Episcopi convocarentur, quod Acta prædicta continent. Infelices illi qui Theologum Launoium non habuerunt; à quo sua jura ediscerent! ignavi, si ea non ignorantes, quod sibi servile jugum non imponeretur apud Regem hæreticum conquesti sunt.

16. Præterea, inquit Launoius, qua affertur ratio vitiosa est: à non distributo ad distributum procedit. At quis diceret Romanum Pontificem esse redactum esse ut ad dignitatis suæ tutelam accidentis indigeat falsitate. Imprudentes Episcopi, qui de rebus Ecclesiasticis cum Principe disputare aggrediuntur, cum Dialecticæ formulas non didicerint! vitiosè enim argumentantur ob ignorantiam legum Syllogisticarum. Nam eos sophismate Regem decipere voluisse, cum proprii juris dispendio, non apparet verisimile. Verum illi, & quidem meritò, ab universali ad particulare sub eo contentum argumentari sibi videbantur: à jure convocandi Synodos pro omnibus causis, ad jus convocandi pro illa causa, de qua tunc agebatur in singulari potestate, quam Romanus Pontifex ex Beati Petri merito vel Principatu, & Conciliorum autoritate habebat, utpotè plenà, continerentiebant eam, quæ ad congregandas pro re maximè ardua Synodos requiritur, atque aded non erat *accidentis fallacia*.

17. Quam deinde addit rationem Launoius, ea magis probaret non posse, quæ tunc facta essent in præjudicium adversus Romanum Pontificem trahi, eo quod necessitate fuissent extorta, non liberè admittenda. *Symmachus*, inquit, à *Theodorico* Synodum cogi consensit; & consentire illius intererat plurimum. Si quidem ab objectis criminibus purgatus fuisset nunquam, & eam ob causam Visitator Romanæ Ecclesiæ datus à *Theodorico* remansisset semper.

18. Sed quomodo Romani Pontificis Primatum non lædit Launoius, cum deinde probare conatur cæteros Episcopos Papa minores non esse? Si de ordinis potestate intellexisset, verum dixisset, sed de potestate jurisdictionis, seu judicandi loquitur. Respondet enim rationi petitiæ ab eo quod dixerant Episcopi *Theodorico*, nec antedictæ Sedis (Romanæ) Antistitem minorum subjacuisse iudicio, Si etiam ad Episcopos in Concilio

lio congregatos orationem restringeret, errorem quidem proferret, sed magis tolerandum, quàm dum ait; *Certum est ante omnia minores appellari non posse Antistes, quos, & Symmachus & Symmachi Decessores, Collegas, Fratres, Commiistros, Consacerdotes, & Coepiscopos appellant, quibus nominibus Romani Antistes donant etiam Episcopos singulares extra Concilia. Similia in aliis quibusdam epistolis, & magis perspicua habet, quæ quomodo Primatum omnem, nisi fortè honoris, Summo Pontifici non abrogent, atque ad eum cum fide non pugnent, difficile capitur, nisi quia ei alibi procurandæ Canonum executionis jus reservatur.*

19. Nota hic rursus, qualia sint argumenta Launoi. Ex eo enim infert Episcopos Papa minores appellari non posse, quod illos Papa Collegas, Fratres, Commiistros, Consacerdotes, & Coepiscopos nomet. Eadem ratiocinatione concluderet non solum Sacerdotes non posse dici Episcopos inferiores, aut Diaconos Sacerdotibus, quia Presbyteri ab Episcopis in Synodis Diocæsanis appellantur Consacerdotes, & Diaconi frequenter Commiistri, sed etiam (quod blasphemum est) Apostolos non fuisse inferiores Christo, qui eos fratres vocavit.

20. Cæterum inaniter cavillatur Launoius cum ait; *Ad Clerum ergo, Senatum, Populumq; Romanum flectenda est illa propositio, qua dicitur Apostolica Sedis Prasul minorum non subiacere iudicio. Quasi verò Episcopi, quorum sunt illa verba, ullam Theoderico de Clero, Senatu, Populove Romano mentionem fecissent, aut illos intelligerent nomine Synodi, quam à Symmacho convocari debere affirmabant.*

21. Ennodius Diaconus Ticinensis Apologeticum edidit pro Symmacho, & pro Synodo, ejus occasione habitâ, in quo ea, quæ dixerant Episcopi, adhuc clarius explicat, his verbis; *Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare. Sedis istius Prasul suo sine questione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli Successores CÆLO TANTVM debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.* At Launoius non isto testimonio, quod lucidissimum est, illustrandam censet, quam in sensum alienum deflectere conatus est, Episcoporum doctrinam; sed postquam illam obscurare tentavit, ex ea

260 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
istius lumen obumbrare nititur. Episcopis objecerat, eos propositionem suam traditione non probare: nunc eos traditionem non ignorasse asserit, ut adstruat, Ennodium ignorasse traditionem. *Quis contenderet Laurentium Mediolanensem, Petrum Ravennatem & ceteros Antistites maturioris ætatis viros, senes alios Romana Ecclesia traditionem ignorasse, quam unus Ennodius in Gallia, vel in Liguria natus annos 30. scivisset. Sed, quæcunque Launoius objicere potest Ennodio, eliduntur ipsamet ejus confessione, quandoquidem ait; Romana Synodus quinta Ennodii libellum probando suum fecit.*

22. Sanctus etiam Avitus Episcopus Viennensis epistolam scripsit ad Faustum, & Symmachum Senatores, pro Symmacho Papa, in qua eandem tradit doctrinam, eodemque modo impugnatur à Launoio. Verùm quascumque adhibeat interpretationes, impossibile est, ut qui eam bonâ fide legit, non perspiciat, S. Avitum suo, & omnium Episcoporum Galliarum nomine scripsisse, non potuisse Synodum adversus Pontificem convocari, aut eum judicare; *Intelligimus, inquit, S. Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerat accusatus, Consecratorum suorum solatium potius adsciscere, quam recipere debuisse judicium. Quid clarior? Et infra; Quod Synodus ipsa venerabilis, laudabili constitutione prospiciens causam, quam, salvâ ejus reverentiâ dictum sit, penè temere susceperat inquirendam, Divino potius servavit examini. Ità non censet Avitus potuisse Synodum ex consensu Papæ convocatam, de eo ferre sententiam, ut etiam si judicium Deo reservaverit, eam penè temeritatis accuset, quod vel inquisitionem susceperit. Atque hinc refellitur, quod contendit Launoius Synodum de Papa verè judicasse, quâ ratione putat, se Episcoporum auctoritate infirmare Ennodii testimonium; Licet ipsamet Synodus apertè declaret se causam Divino reservasse judicio. Sunt adhuc alia in eadem Epistola, quæ prosequi non est opus. Istud tantùm adjungimus. Si Papa Urbis vocatur in dubio, EPISCOPATUS IAM VIDEBITUR NON EPISCOPVS VACILLARE, sed de convocatione Conciliorum satis, superque.*

CAPUT IX.

Absque summi Pontificis autoritate Concilia generalia vim, & robur non obtinere.

1. Socrates historiæ Eccles. lib. 2. cap. 5. expressè affirmat, Sex Ecclesiastico Canone, sine Romani Episcopi sententiâ Decreta condi non posse. *Quin etiam*, inquit de Concilio Episcoporum à Constantio Antiochiæ congregatorum, *Julius Romanus Episcopus nequaquam aderat, neque quemquam qui ejus locum suppleret eo misit, idque cum Canon Ecclesiasticus subeat non oportere absque sententiâ Episcopi Romani Decreta Ecclesiis sancire.* Et cap. 13. Itaque *Julius litris contrariis ad ipsam misit, Episcopis, qui Antiochia convenerant per litteras respondit. Ac primum docet quantum molestia, & acerbitatis eorum Epistola ipsi attulisset: Deinde eos contra Ecclesiæ Canones egisse, quod illum ad Concilium non vocassent: quippe cum Canon Ecclesiasticus veteri ne Decreta ABSQUE SENTENTIA EPISCOPI ROMANI Ecclesiis sanciantur, sive (ut Textus Græcus significat) non oportere PRÆTER SENTENTIAM EPISCOPI ROMANI Ecclesiæ Canones condere.* Idem tradit, quamvis Schismaticus, Nicephorus Calixtus lib. 9. cap. 5. & 6. Apertiùs verò Sozomenus lib. 2. cap. 9. *Legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, (seu Sacerdotalem) qua pronunciat: Acta illa IRRITA ESSE, QUÆ PRÆTER SENTENTIAM EPISCOPI ROMANI CONSTITVUNTUR.* Non debet certè suspectum haberi Græcorum testimonium, dum pro Romano Pontifice loquuntur.

2. Concilium Romanum sub S. Damaso de Ariminensi scripsit, numerum Episcoporum non esse attendendum eo, quod non præcessisset sententia Romani Pontificis. Concilii Romani Epistolam refert Theodoretus lib. 2. histor. Eccles. cap. 22. hujus tenoris; *Episcopi Roma in sancto congregati Concilio Damasus, ac Valerianus, ac reliqui dilectis fratribus Episcopis in Illyrico. Salutem in Deo. Præiudicium certè numeri Ariminensis Conventus nullum esse potest; quando ita est habitus, ut neque Romani Episcopi, cujus ante omnia sententiam cognoscere debuerant, neque Vincentii, qui tam multis annis Præ-*

fulatus conservavit integritatem, neque aliorum consensus illis accesserit. Idem tradit Zozomenus lib. 6. cap. 22.

3. Concilium Ephesinum, etiam si adfuisset Apostolicæ Sedis Legati, Acta sua ad S. Cælestinum mitti debere agnovit. Quia verò, inquit in epistola, seu relatione, quæ habentur in Actis Act. 5. *neesse est ut omnia, quæ consecuta sunt Sanctitati suæ significentur, non posuimus non scribere.* Et infra Ultimum contra Nestorium & alios iudicium Summo Pontifici reservatum monet. Probat autem firmitatem eorum, quæ gesta fuerant ex præsentia Legatorum sanctæ Sedis, qualem vim haberent (Hæretici) contra synodum ex universo, qui sub celo est, orbe collectam? *Fuerunt enim in confesso nostro, & illi quoque, qui a Sanctitate tua missi sunt piissimi Episcopi, Arcadius, & Proiectus, & cum ipsis Reverendissimus Presbyter Philippus, qui suâ præsentia tuam nobis exhibuerunt, Apostolicæ Sedis locum suppleverunt.*

4. Concilium Chalcedonense in relatione à se gestorum ad S. Leonem, ejus tùm circa fidem, tùm circa disciplinam auctoritati illustre perhibet testimonium. Qui enim inquit loquens de iis præsertim, quæ in favorem Episcopi Constantinopolitani decreta fuerant, *locum vestra Sanctitatis obtinent sanctissimus Episcopi Paschasius, & Lucentius, & qui cum eis est Reverendissimus Presbyter Bonifacius his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio à vestra providentia inchoari & hoc bonum volentes, ut sicut fidei, si bona ordinationis vobis deputetur effectus. Sunt & alia in hac relatione, quæ extat in tertia parte Actorum illius Concilii cap. seu num. 2. quibus Patres significarunt, persuasum sibi esse, quæ decreverant non posse sine summi Pontificis consensu subsistere.*

5. Quocirca cùm Concilia generalia Decretorum suorum confirmationem à Romano Pontifice postularunt, non id tantum in votis fuit, ut ejus consensus accederet, quod vocæ confirmationis aliquando intelligitur, scilicet cùm à superioribus erga inferiores, aut ab æqualibus erga æquales usurpatur, sed etiam ut eo consensu statuta, robur, ac firmitatem acquirerent, quod adjuncta verba satis expressè innuunt, ut cùm, v. g. octava Synodus ad Hadrianum Papam scribit, *Ergò libenter oppido, & gratanter imitratrice Dei Sanctitate Vestra omnium nostrum Convenium, & universalis hujus, atque Catholica Synodi*

modi consensum, & consonantiam recipiente; prædica eam magis, ac veluti propriam & sollicitius CONFIRMA, quo angelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet, ut suscipiatur veritatis verbum, & iustitia Decretum. 8. Synod. Act. 10. Vocem illam *confirma* Launoïus explicat de confirmatione doctrinali, non de autoritativa. Sed si Concilii tanta erat autoritas, ut confirmari nullius autoritate indigeret, quid opus erat ejus Decreta rationibus, vel testimoniis probare, ut ab Ecclesiis susciperentur, cum nefas foret de illis ambigere, nisi fortè Concilii etiam generalis iudicium tunc irreformabile non æstimabatur.

6. Mentem hac de re suam declarare, luculentius non potuit Doctor Angelicus, quam his verbis; *Sancti Patres in Conciliis congregati nihil statuerunt, nisi auctoritate Romani Pontificis interveniente, sine qua etiam nec Concilium congregari potest.* Opuſc. contra impugn. Relig. cap. 4.

7. Jus illud sanctæ Sedis nunquam non propugnarunt summi Pontifices, cum in controversiam vocatum est: pro eo decertarunt in primis Gelasius, Nicolaus, Gregorius VII. & alii quamplurimi, inter quos S. Leo IX. epist. 4. *sed hoc, inquit, non lateat vos, non debere præter scientiam (alias sententiam) Romani Pontificis universale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: quia est licet examinare, definitivam tamen sententiam absque consensu Romani Pontificis, ut dictum est, non licet dare. Quod in sanctis Canonibus statutum si quaris potestis invenire. Scilicet quia omnium Ecclesiarum majores, & difficiliore causa per sanctam Sedem, & principalem B. Petri à Successoribus ejus definienda sunt, utpotè cujus Divinitus dicitur: confirma fratres tuos, & tibi dabo claves Regni Cælorum.*

8. Denique, inquit Nicolaus I. Epist. 7. *in universalibus Synodis quid ratum, vel quid profus acceptum, nisi quod Sedes B. Petri probavit (ut ipsi scitis) habetur: sicut è contrario quod ipsa sola reprobavit, hoc solummodo constat hætenus reprobatum.*

9. Hæc, & alia, quæ adduci possent, licet à Pontificibus in propriâ causâ dicta, plurimum habent ponderis ob pietatem, & doctrinam dicentium; Qui certè crimen horrendum duxissent in rebus tanti momenti potestatem indebitam impio mendacio sibi comparare. In eadem sententia fuerunt Scriptores Gallicani, præsertim ante schismatis tempus. Guilelmus

22
certatibg
la gallicana
CIII
231

264 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
lelmus Durandus Episcopus Mimatensis in Speculo Juris pra-
tic. 1. §. 5. de Papa scribit, quod ipse Conciliis non ligatur: imò
contra illa facere potest: Sed clariùs Durandus de S. Porciano Epif-
copus primò Meldensis, deinde Aniciensis, lib. 4. dist. 25.
quæst. 5. art. 6. sicut leges, inquit, non ligant Imperatorem, ita nec
Canones Papam, sed potiùs leges vim habent ex Imperatore, & Canones ex
autoritate Papæ.

C A P U T X.

*In Sacris Litteris clariùs exprimi Pontificis sine Concilio,
quàm Concilii sine Pontifice autoritatem.*

1. **E**T si regulam Joannis Launoii pro tractandis rebus Theo-
logicis observare, sæpius impossibile sit, ut scilicet
nihil asseratur, nisi quod aliquo Sacræ Scripturæ loco juxta
unanimum consensum Patrum accepto, vel traditione non
constet; Nunquam tamen à vera Concilii Tridentini regu-
la, quam Launoius exhibere præ se fert, Catholico receden-
dum est; ut nempe nihil unanimi Patrum consensui, vel Ec-
clesiæ traditioni, aut sensui contrarium affirmetur. Imò regu-
lam Launoii semper intueri juvat, ut eam, quantum ma-
teria patitur, sequamur, etsi consequi non speremus. Itaque
videamus in hoc capite, an Pontificis sine Concilio; an sine
Pontifice Concilii autoritas in Scriptura, juxta Patrum in-
terpretationem, clariùs contineatur.

2. Tria præcipuè citantur loca pro autoritate Concilio-
rum. Primus locus est Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati
in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Sed primò Launoius par. 6.
epist. 1. notat hunc locum de Conciliorum genere quovis in-
telligi posse, & à nonnullis Ecclesiasticis tractatoribus subin-
de intelligi. Secundò quinque sanctorum Patrum Interpreta-
tiones refert; qui locum illum neque de Conciliis generali-
bus, neque de Provincialibus intellexerunt. Et sanè videtur
magis ad obedientiam in causis criminalibus præstandam,
quàm ad fidem declarandam, aut Canones condendos perti-
nere; Præmittitur enim; *Si peccaverit in te frater tuus, &c. qui*
præ-

præscribunt ordinem iudicarium in ferenda excommunicatione servandum; vel ad orationis efficaciam; Cum enim dixisset Christus; *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint; fiet illis à Patre meo, qui in calis est;* immèdiatè subiungit verba illa; *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Accedit quod illa verba Concilium Provinciale, aut adhuc Provinciali minùs, potiùs significant, quàm universale. Nam duo, vel tres Concilium for-
tè provinciale, non autem universale constituerent.

3. Alter locus est Joannis 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Sed ea promissio non solum in omnibus Apostolis collectivè, sed etiam in singulis erat implenda. Accepto enim Spiritu sancto in die Pentecostes, factum est illud, quod prædixerat Propheta Isaias cap. 54. v. 13. à Christo allegatus Joan. 6. *Et erunt omnes docibiles Dei.* In hunc sensum B. Petrus ipso Pentecostes die locum illum Prophetæ Joëlis adduxit; *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filie vestra.*

4. Tertius locus est Act. 15. ibi enim primum Concilium, quod est cæterorum norma, scripsit; *Visum est Spiritui sancto, & nobis;* Quæ verba de assistentia Spiritus sancti dubitare non fiunt. Sed illa Spiritus sancti assistentia Apostolos inspirantis, Apostolorum gratiæ, non Concilii generalitati tribuenda est. Nec enim generale erat, siquidem ex Apostolis & seniores Ierosolymis consistentibus dumtaxat constabat, ubi probat Cardinalis Baronius ad annum 51. num. 9. adfuisse tunc tantum ex Apostolis Petrum, Jacobum, & Joannem cum Paulo, & Barnaba. Erant autem in multis Mundi partibus Episcopi jam constituti, quos certum est ab eo Concilio abfuisse, ut universale dici non possit. Adde quod Cætui aderat B. Petrus, ut nihil hinc ad propositum concludi, cum agamus de Concilio, à quo absit Petri Successor, possit.

5. Probatur etiam autoritas Conciliorum iis omnibus Scripturæ locis, quibus Ecclesiam circa fidem errare non posse demonstratur. Cum enim Concilium Ecclesiam representet, necesse est, ut sicut Ecclesia, ita Concilium ab omni erroris circa fidem periculo absit. Sed capite sequenti ostendemus

266 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
summum Pontificem melius Ecclesiam representare, quam
reliquos Episcopos sine ipso.

6. Statuitur autem evidentius ejus, quam Conciliorum au-
toritas in sacris Scripturis. Etenim dum Matth. 16. Petrus
fundamentum Ecclesiæ constituitur à Christo dicente; *Tu es*
Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non
prævalent adversus eam; manifestè declaratur eum; ejusque Suc-
cessorem Romanum Pontificem; ita se habere ad reliquorum
fidelium Cætum, sicut fundamenta ad ædificium: Atqui ra-
tione, & experientiâ compertissimum est firmitatem ædificii
à fundamento, non autem fundamenti ab ædificio pendere:
In eundem ergo modum firmitas in Fide, ac Religione, non
à reliquis fidelibus in summum Pontificem, sed à summo
Pontifice in reliquos Fideles provenit.

7. Petro datæ sunt claves Regni Cælorum, & per ipsum
Apostolorum Collegio, non autem primò Apostolorum Col-
legio, ac per illud, seu in illo, B. Petro. Prosequitur enim
Christus loco citato; *Et tibi dabo claves Regni Cælorum & quodcumque*
ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super
terram, erit solutum & in Cælis. Certum est autem per claves po-
testatem significari.

8. Tertio Episcopi etiam congregati non desinunt esse fra-
tres Successoris Petri; Ergo ab eo debent confirmari; Pro
ipso enim Christus oravit, ne deficeret Fides ejus, ut posset
deficientes, aut titubantes suffulcire: quod in Petri, & alio-
rum Apostolorum Successoribus potius locum habet, quam
inter ipsosmet Apostolos. Nam post adventum Spiritus sancti
Apostoli omnes fuerunt in gratia confirmati, ut B. Petri con-
firmatione non ita indigerent. Antea verò non legimus B. Pe-
trum tantum suos fratres juvisse, ut necessarium eis fuerit
indeficientis illius fidei præsidium.

9. Quarto dum Christus Joann. ult. oves suas pascendas
Petro, & in ejus persona Romanis Pontificibus, tradidit,
apertè significavit summum Pontificem esse Pastorem, reli-
quos autem fideles gregem; Quis autem gregi Pastorem
præponendum dubitet? Num monstruosa foret ordinis per-
turbatio, si Pastor à grege, non grex à Pastore regere-
tur? Nec responderi potest intelligenda illa esse de ovibus seor-
sim

sim sumptis, non autem de toto grege. Nam nullum est in Christi verbis hujus distinctionis vestigium. Nihil excipitur ubi distinguitur nihil.

10. Ex collatione illorum Scripturæ sacræ locorum percipitur, clarius expressam esse B. Petri, quàm aliorum sine ipso, autoritatem. Sed aliqui Scriptores Gallicani Catholici contendunt, prærogativas illas B. Petro datas esse tanquam Ecclesiam repræsentanti, atque idè toti Ecclesiæ in ipso; Ipsum quidem, ejusque Successores singulis membris præminere tanquam Caput, non autem toti Ecclesiæ formaliter acceptæ, vel per Concilium repræsentatæ. Videndum igitur est, quam personam gesserit Petrus, cùm ei Christus autoritatem contulit locis scripturæ suprâ relatis expressam; Et utrum ad singulos fideles tantùm referatur, non ad omnes simul. Et adhuc an descenderit ad Romanos Pontifices; Id enim Hæretici negant omninò, & aliqui Catholici, ex parte. Ordinemur à sancto Augustino, cujus testimonio potissimum nituntur scriptores Gallicani.

C A P U T X I.

Qua ratione B. Petrus Ecclesiam repræsentaverit ex mente S. Augustini.

1. **T**ot sunt in S. Augustini operibus loca, ubi S. Petrus Ecclesiam repræsentasse dicitur, ut à nemine qui ejus libros legerit, ignorari queat, usitatissimam eam esse sancto Doctore loquendi formulam. Nescio autem quâ consequentiâ Gallicani quidam Scriptores illinc conclusionem trahant contradictoriam ei, quæ quasi naturaliter sequitur juxta eorum principia. Idè enim Concilium Constantiense, idè Basileense, tam accuratè suis decretis apposuerunt clausulam illam, quâ Ecclesia universalis à Concilio repræsentari commemoratur, quia eâ ratione, quæ de universali Ecclesia in Scripturis sacris enunciantur, Concilio videntur posse adscribi. Hic ergo ex eorum doctrina legitimè formatur Syllogismus. *Ei, per quod repræsentatur Ecclesia universalis, conveniunt quæ*

L 1 2

cumque

cumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesia ipsi: Atqui per Concilium generale representatur Ecclesia universalis: Ergo Concilio generali conveniunt quaecumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesia ipsi, puta quod qui non audierit ejus mandata, sit habendus sicut Ethnicus, & Publicanus: quod sit columna, & firmamentum veritatis, & alia ejusmodi.

2. Pari ergo, si non majori ratione, sic nos discurremus; Ei per quem representatur Ecclesia universalis, conveniunt quaecumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesia ipsi. Atqui per Petrum representatur Ecclesia universalis: Ergo Petro conveniunt quaecumque in Scripturis sacris tribuuntur Ecclesia ipsi; v. g. quod sit columna, & firmamentum veritatis, quod qui eum non audierit, sit habendus tanquam Ethnicus, & Publicanus, &c. Prima propositio est quasi primum principium eorum, qui Conciliorum generalium auctoritatem altiùs extollunt. Secundam concedunt, & testimonio S. Augustini confirmant: Et revera S. Augustini doctrinam esse loca ex eo mox referenda dubitare non sinunt; Qui ergo negari potest conclusio legitimâ consequentiâ illata?

3. Non video quid responderi possit, nisi fortasse perfectius representari Ecclesiam à Concilio generali, quam à Petro; vel Romanos Pontifices in illa representatione non successisse B. Petro. Utrumque (intelligimus semper de Concilio à quo summus Pontifex, ejusque Legati absint) confutabimus in capitibus sequentibus.

4. Ut autem omnis amoveatur à S. Augustini verbis obscuritas, tria distinguenda sunt representationis genera. Primo aliquando unum representat aliud tanquam nudum signum, rem significatam nequaquam continens, quales sunt v. g. picturæ, aut quæ metaphoricè de aliis dicuntur. Secundo aliquando quod representat cum eo quod representatur, communicat, sed pro sua tantum rata portione: Ut dum particulare Communitatis membrum, totius Communitatis nomine pecuniæ summam in singulos Cives distribuendam accipit, ita totam Communitatem representat, ut beneficii universitati concessi, tanquam unum ex ejus membris, particeps etiam sit. Tertio aliquando unum aliud representat tanquam illud sub se habens, ut Princeps, Dux, Pater familias, Pastor, aut alterius generis superior, Regnum, exercitum, familiam, aliosve inferiores, quibus communicant ali-

aliquod bonum dispensationi suae commissum; ut cum Dux totum exercitum representans accipit à Rege in præmium reportatæ insignis victoriæ, cujus ipse pars maxima fuerit, ditissimum aliquod munus, cujus tamen participes futuri sint reliqui, tum Officiales, tum Milites, prout ipse, pensatis eujusque meritis, judicaverit, aut prout Princeps ipse ordinaverit.

5. Primo dumtaxat modo Ecclesiam à B. Petro representatam fuisse nemo dixerit. Quis enim ita desipiat, ut Apostolum illum nullam sibi, sed Ecclesiae tantum, accepisse potestatem sentiat. Secundo igitur saltem modo B. Petrum Ecclesiam representasse fatendum est, ut parem ad minus cum cæteris dignitatem adeptus sit. Sed Catholicis necessarîo concedendum est tertio etiam modo representatam à B. Petro Ecclesiam. Cum enim hæreticum sit negare B. Petri successores habere Primatum Jurisdictionis in Episcopos, nec illum Primatum B. Petro datum legamus, nisi in illis locis, in quibus Ecclesiam representasse dicitur, necessarîo sequitur B. Petrum alios representasse tanquam existens, vel exinde futurus illorum superior, illosque in sua potestate, atque, ut aliàs ex S. Joanne Chrysostomo dicemus, velut in sua manu habens.

6. Et sanè convenit illi omninò quod de Duce mox dicebamus. Illi enim promissum est, ædificandam super eò, tanquam super fundamento Ecclesiam Christi; tradendas ei claves Regni cælorum; & potestatem ligandi atque solvendi, in præmium confessionis, quam interrogatis omnibus, solus ipse respondens edidit his verbis; *Tu es Christus Filius Dei vivi, cujus quidem confessionis laudem, & præmii promissionem statim audivit à Christo dicente; Beatus es Simon Bariona, &c. & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Matth. 16. vers. 18. & 19. & præmium ipsum accepit cum ei Christus ovile suum commisit his verbis Joannis ult. *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* Accedamus etiam ad sancti Augustini loca.

7. S. Augustinus tract. 50. in Joannem B. Petrum cum Judæa comparat, eujusque comparationis occasione pluries repetit B. Petrum Ecclesiam representasse. *Quia non unus est Judæa,*

De
 certatib;
 le gallicane
 Gill
 731

inquit; Unus malus corpus malorum significat, quemodo Petrus corpus bonorum; imò corpus Ecclesia, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesia Sacramentum, non ei diceret Dominus; Tibi dabo claves Regni Caelorum, quacumque solveris in terra, soluta erunt & in Cælo, & quacumque ligaveris in terra, ligata erunt & in Cælo. SI HOC PETRO TANTVM DICTVM EST, NON FACIT HOC ECCLESIA; Si autem in Ecclesia fit, ut qua in terra ligantur in Cælo ligentur, & qua solvuntur in terra, solvantur in Cælo, quia cum excommunicat Ecclesia, in Cælo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia, in Cælo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit ECCLESIAM SANCTAM SIGNIFICAVIT. Hæc verba; Si hoc Petro tantum dictum est non facit hoc Ecclesia, &c. expliquant quo in sensu S. Augustinus Petrum dicat Ecclesiam repræsentasse, cum ei traditæ sunt claves, quia neque in sui solius favorem, neque ut ipsis solus uteretur, sed in universæ Ecclesiæ bonum, & ab aliis etiam Ecclesiæ Ministris adhibendæ à Christo ipsi datæ sunt. Alium sensum non admittit ratio S. Doctoris. Nam ex hoc antecedente; hoc Petro tantum dictum est, non sequitur; Ergo non facit hoc Ecclesia, nisi supponatur nullum alium Ecclesiæ Ministrum, potestatis clavium esse quoquomodo participem. Dummodo enim alii eadem potestate gaudeant, quando-cumque, vel à quocumque illam acceperint, non potest dici; SI HOC PETRO TANTVM DICTVM EST, NON FACIT HOC ECCLESIA. Potuit enim hoc Petro tantum dici; Et nihilominus POTEST HOC FACERE ECCLESIA, si alii Ministri potestatis Petro traditæ participes efficiantur.

8. Tract. 118. in Joan. unitatem, & charitatem, occasione tunicæ inconsutilis Christi, commendans uno Petro duodecim Apostolos repræsentatos affirmat. Inconsutilis autem (inquit, Ecclesiam cum tunica conferens) ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis, cum esset etiam ipse numerus duodenarius, id est quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, SOLVS PETRVS RESPONDIT, Tu es Christus Filius Dei vivi: & ei dicitur; Tibi dabo claves Regni Cælorum, tanquam ligandi, & solvendi solus acceperit potestatem, cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, acceperit. IDEO VNVS PRO OMNIBVS, quia unitas est in omnibus. Quocirca sicut B. Petrus interrogatis omnibus solus respondens, etiam non

non expectatâ aliorum sententiâ, ut docet S. Joannes Chryso-
stomus capite sequenti referendus, pro omnibus responde-
re censetur, quia ipsi Pater Cœlestis pro reliquis omnibus
Christi Divinitatem revelavit; non quia alii quid responden-
dum esset, ipsum docuerunt. Ita ipse fundamentum Ecclesiæ
statuitur, ut eam sustentet, non ut sustentetur ab ea, claves
accipit ab ipso, cum Ecclesia communicandas, non ab ea ite-
rum recipiendas.

9. Norunt qui B. Augustinum diligenter legerunt, sanctum
illum Doctorem sæpè res verè, atque historicè gestas, ad
alias significandas transferre, sed ferè ubique, qui ejus erat
pro Ecclesia amor, & contra hæreticos, & schismaticos ze-
lus Ecclesiam vidisse. Quamobrem non est existimandum,
ex positionibus illis allegoricis, sensus litteralis autorita-
tem ullo pacto imminui. Itaque nihil officit propriæ B. Pe-
tri dignitati, aut potestati in Ecclesiam, quod Ecclesiæ per-
sonam gessisse dicatur: præsertim cum Regnum nemo melius,
quam Rex ipse cui subijcitur, representet.

10. Aliquando nihilominus sanctus ille Doctor verbis pro-
priis, & perspicuis singularem B. Petri dignitatem à Christo
ipso acceptam commendat, ut serm. 29. de Sanctis; *Petrus,*
inquit, *in illa Cœlestium discipulorum schola præcipuus, ac primus idoneus,*
qui verba vitæ ex Christi ore suscipiens per Evangelii potestatem Judæorum
gentem perditam quæretet, & ad dicatos ad hereditatem vocaret; Interpres legis,
affector gratiæ, destructor synagoga, Ecclesiæ reparator: & ideo SOLVS
INTER APOSTOLOS MERUIT AUDIRE; Amen dico tibi, quia tu es
Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Dignus certè qui adifi-
ficandis in domo Dei populis LAPIS ESSET AD FUNDAMENTVM,
COLVMNA AD SVSTENTACVLVM, CLAVIS AD REGNVM.

11. In sermone quoque 13. de verbis Domini plurima
sunt quæ B. Petri autoritatem supra cæteros omnes Aposto-
los, & Ecclesiam ipsam infnuant; qualia sunt ista; *ESSE*
PETRVM ECCLESIAE VNICÆ TYPVM. Ipse enim Petrus in Apostolo-
rum ordine primus, in Christi amore promptissimus, sæpè unus respondit pro
omnibus. Ipse denique Domino Jesu Christo requirente quemnam homines dice-
rent eum esse, & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursus-
que Domino interrogante, & dicente. *Vos autem quem me esse dicitis? Respon-*
dit Petrus; Tu es Christus filius Dei vivi, unum pro multis dedit responsum.
Unitas

Unitas in multis. Tunc ei Dominus ait; Beatus es Simon Barjona, quia non revelavi tibi caro, & sanguis, sed Pater meus qui est in Coelis. Deinde addidit; Et ego dico tibi tanquam diceret; Quia tu dixisti mihi; Tu es Christus filius Dei vivi: & ego dico tibi; Tu es Petrus; Et inferius. In illo ergo cum Apostolo, id est Petro, in ordine Apostolorum primo, & præcipuo, in quo figurabatur Ecclesia, utrumque genus significandum fuit, id est firmi, & infirmi, quia sine utroque non est Ecclesia. Et serm. 49. cap. 3. dicit Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre amas me? Respondit, Domine amo. Pafce oves meas.

12. Sermone autem 108. de diversis ait; Inter hos pendè ali-quo solus Petrus totius Ecclesie meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesia solus gestabat, quod meruit; Tibi dabo claves Regni Cælorum. Has enim claves non bono uno, sed unitas accepit Ecclesia. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis, et unitatis Ecclesia figuram gessit: quando ei dictum est. Tibi dabo quod omnibus traditum est. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves Regni Cælorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis; Accipite spiritum sanctum. Et continuo, si cui dimiseritis peccata dimittentur ei, si cuius tenueritis retinentur. Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, que solveritis in terra erunt soluta & in Cælo, & que ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cælo. Sed hoc Petro dixit ut scias, quia Petrus universæ Ecclesie personam tunc gerebat. Columba ligat, columba solvit, adificium supra Petram ligat, & solvit. Et infra. Merito etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oves suas commendavit pascendas. Non enim inter Discipulos solus meruit pascere Dominicæ oves: sed quando Christus ad unum loquitur, unitas commendatur, & Petrus primitus quia in Apostolis Petrus est primus. Attendite fratres mei. Pafce, inquit, oviculas meas, pafce agni meos, pafce oves meas.

13. Si Concilium generale sine Papa Ecclesiam melius, quam Papa solus repræsentat, toti Collegio, non soli Petro tradendæ erant claves, commendandæ oves, &c. Non ergo ut simplex Procurator, sed ut Monarcha visibilis claves Regni Cælorum accepit Petrus; non ut deferendas ad Ecclesiam, & ab illa rursus recipiendas, sed in illius utilitatem usurpandas, & Ministris inferioribus communicandas. Certè si Petrus nuda fuisset Ecclesie figura, seu simplex Procurator hinc Petri excellentia non prædicaretur, ut dicit S. Augustinus.

CAPUT XII.

Sententia S. Joannis Chrysoſtomi de comparatione B. Petri cum cæteris Apoſtolis, etiam ſimul ſumptis.

1. **S**anctus Joannes Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum ſuper hæc verba capituli 16. *Vos verò quem me eſſe dicitis &c.* multifariam ſignificat, ſuperius eſſe ſancti Petri circa fidem judicium, cæterorum omnium Apoſtolorum judicio. Notat enim primò eum non ſolum omnes alios reſpreſentari, omnium vice ad interrogationem Chriſti quærentis, quem ſe eſſe dicerent, reſpondendo, ſed ipſorum etiam non expectaſſe ſuffragium. *Quid igitur Petrus omnium Apoſtolorum os VERTEX CONSORTII TOTIVS?* (nota hæc verba VERTEX CONSORTII TOTIVS, & non Apoſtolorum tantum ſeorſim acceptorum) *Cum omnes interrogati eſſent ipſe ſolus reſpondet.*

2. At inquit, ſolus reſpondet, quia importunum fuiſſet, ut reſponderent ſimul omnes: Ipſe igitur, cognitum aliorum judicii, omnium profert reſponſionem. Aliter ſentit S. Chryſoſtomus; Sic enim proſequitur: *Et quandoquidem de ſententia vulgi petebat, omnes reſponderunt: Cum verò de ſua eos rogaret, PETRVS CONFESTIM PRÆſILIVIT, ac præveniens ait; Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Si conſeſtim præſilivit, non expectavit aliorum ſuffragia; ſed cum ſinguli circa humana judicia reſpondiſſent, ſolus ſententiam profert Beatus Petrus, atque præſiliens, & præveniens alios, Chriſti Divinitatem agnoſcit, & profitetur.*

3. Secundò notat S. Chryſoſtomus, B. Petrum tunc perfectiori modo Chriſtum cognoviſſe, quàm qui cum Filium Dei antea conſeſſi fuerant, ut ipſimet Diſcipuli, qui erant in navi, cum Chriſtus ventum compeſcuerat, de quibus Matth. 13. verſ. 33. dicitur; *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum dicentes; Verè Filius Dei es;* ut Nathanael, qui referente Beato Joanne Chriſtum ſic allocutus eſt; *Rabbi tu es Filius Dei Joan. 1. 49. Eo quod ab ipſo audiſſet; priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.* Probat autem ſanctus Doctor perfectiorem fuiſſe Petri, quàm aliorum, de Chriſto

M m cogni-

274 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
cognitionem, id est alios tanquam filium adoptivum, Pe-
trum verò tanquam filium naturalem, & consubstantialem,
cum cognovisse; tum quod Petro dicatur à Patre æterno
facta revelatio; tum quod ob illam confessionem Beatus à
Christo ipso sit prædicatus. Atqui nisi propriè sic Petrus intellexisset,
& ab ipso Patre natum crederet, non fuisset revelationis opus illa confessio,
nec àiqua beatificatione digna, si unum ex multis Dei filiis illum putasset.
Etenim jam pridem post tempestatem qui erant in navigio, verè Filii Dei est,
dixerunt: Et quamvis verè dixerint, beatificati tamen ab eo non sum. Non
enim ita ut Petrus, sed unum ex multis verè filium æstimabant, præcipuum
quidem, magisq; dilectum, non tamen ex Patris substantia natum Nathanael
quoque dicebat.

4. Tertio observat S. Chrysostomus, Petrum Divinæ sen-
tentia sibi à Patre suggestæ promulgatorem, non humanæ
opinionis relatorem, extitisse; In medium Patrem produxit, qui
ad confessionem veritatis animum Petri commovit. Ità Petrus quidem locus
est, PATER AUTEM ILLI QUOD LOQUERETUR SUGGESTIT,
Ut non humanam opinionem, sed Divinam sententiam Divinitus dictam Pe-
trum credas enunciassè. Non ergo Christi Divinitatem, ejusq;
cum Patre consubstantialitatem ab Apostolico Collegio acce-
pit Petrus. Rata fuit ejus sententia, & à Christo ipso appro-
bata, & remunerata, non expectato aliorum assensu.

5. Quarto ad Petrum verè, ac propriè factam esse pro-
missionem de ædificanda super ipsum Ecclesia, & tradendis
illi clavibus Regni Cælorum, quod infra apertius docet, jam
insinuat sanctus Doctor his verbis; Quid igitur Christus? Tu es
Simon filius Jonæ, tu vocaberis Cephas. Nam quia Patrem meum prædicasti,
ego etiam illum nomino, qui te genuit; ac si diceret: quemadmodum tu Jo-
næ filius es, sic ego Patris mei filius sum. Nam aliter supervacaneum omnino
atque superfluum esset, dicere; Tu es filius Jonæ. Verum quia ille dixit; Tu
es filius Dei. Ut sic sese filium Dei ostendat, sicut ille Jonæ filius, ejusdem vi-
delicet substantia cum Patre, idcirco illud adjecit: Et ego dico tibi quia tu es
Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petro ergo ipsi,
seu filio Jonæ facta est promissio, hoc est verè ac propriè,
& non tantum significativè.

6. Quinto licet B. Chrysostomus petram, super quam
pollicetur Christus se suam ædificaturam Ecclesiam, de Fide,
atque confessione Divinitatis Christi intelligere videatur: Il-
lam

iam tamen confessionem accipit cum ordine, ac respectu ad Petrum, seu (ut loquuntur Scholastici) non in abstracto, sed in concreto. Nam sese explicat sanctus ipse Doctor, addens Christum fecisse, ut Petrus sublimiora sciret, eumque Pastorem Ecclesiæ constituisse. Continuo enim profertur; idest FIDEM, atque confessionem. Hic aperte prædixit magnam eorum qui credituri, & erant, & sunt multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit, & ECCLESIAE PASTOREM CONSTITUIT. Putatne illum quem Christus sublimiora sapere facit à multitudine, cujus Pastor constituitur, docendum esse, non multitudinem ab ipso? Pastorem Ecclesiæ ab Ecclesia; non Ecclesiam à suo Pastore?

7. Sexto quemadmodum Petro verè, propriè, ac excellentiori modo revelata fuerat Christi Divinitas; eamque solus ipse professus fuerat: ita ipsi verè, propriè, atque immediate dari claves Regni Cælorum sanctus Doctor his verbis clariùs exprimit; *Et ego autem dabo tibi claves Regni Cælorum. Quid verò est; & ego autem tibi dabo? Quemadmodum Pater tibi dedit ut me cognosceres; sic & ego tibi dabo Quid das quæso? Claves, inquit, Regni Cælorum: Et quæcumque ligaveris, &c.*

8. Septimò docet sanctus Doctor, B. Petrum ad altiorem Divinitatis Christi cognitionem adductum per duplicem quam ab eo potestatem accepit. Repetit adhuc ipsum Ecclesiæ Caput, ac Pastorem extitisse. Animadvertis, inquit, quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem Petrum adducit, & se ipsum his duabus sollicitationibus filium esse Dei revelat & ostendit. Nam qua Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesia, tot, tantisque fluctibus impetu irruentibus, immobilis maneat, cujus Pastor, & Caput piscator hono, atque ignobilis, terrarum orbe reluctantem adamantis naturam firmitate superet. Hac inquam omnia, qua solius Dei sunt, se pollicetur daturum.

9. Octavò ostendit B. Petrum toti terrarum orbi, atque ideo toti Ecclesiæ præpositum, ex comparatione cum Hieremia. Hic quidem Propheta Judæis, quibus constabat tota Synagoga, præerat, sed unica tantum gens erat; At verò Petrus toti Ecclesiæ ex omnibus omnino gentibus, & populis congregatæ. Ita & Pater (prosequitur S. Chrysostomus) ad Hieremiam dicebat; sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui

C
 De
 Petrus
 Ecclesiæ
 Gallicane
 III
 731



276 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
sui te ; sed ipsum quidem genti uni pater ; HUNC AVTEM (Petrum)
VNIVERSO TERRARVM ORBI CHRISTVS PRÆPOSUIT.
Pater quidem ei revelationem Filii sui dedit : Filius autem pariter , ut tan-
patris , quàm Filii sui revelationem ubique terrarum posset seminare , pariter
ut quamvis homo esset mortalis , CÆLESTI TAMEN POTESTATE POL-
LERET , ET CLAVES HABERET REGNI CÆLORVM. Ita Petrus
Ecclesiam per universam Orbem amplificatam Cæle etiam ipso validiorem mo-
stravit. Transibunt enim , inquit Cælum & terra , verba autem mea non
transibunt.

10. Denique sic concludit S. Doctor , Tu verò mecum ex eis
omnibus , QUANTA SIT POTESTAS EIVS (Petri) intellige , ego dico
tibi inquit ; Tu es Petrus , & ego super te ædificabo Ecclesiam meam : ego
tibi dabo claves Regni Cælorum .

11. Sermone in Petrum , & Paulum hæc de B. Petro ha-
bet. Sed de Petro quid dicemus ? Qui dulce spectaculum est Ecclesie , splen-
dor totius mundi , columba castissima , APOSTOLORVM DOCTOR ,
Apostolus ardens , spiritu fervens , Angelus , & homo gratia plenus , FIRMA
FIDEI PETRA , SENILIS ECCLESIAE SAPIENTIA , qui ob patri-
tem Ecclesia Beatus , & filius columbae ex Dominico ore audivit. Qui claves
Regni Cælorum ab ipso Domino accepit. Si Petrus erat splendor totius
mundi , si Apostolorum Doctor , ab ipso alii , non ab aliis ipse instruit ,
atque doceri indiguit.

12. Idem S. Doctor homil. 3. in Acta Apostolorum , dig-
nitatem , & auctoritatem B. Petri super cæteros , etiam con-
gregatos occasione electionis Apostoli , Judæ proditori substitui-
tuendi , multifariam ostendit. Primus hic , inquit , Doctorem consti-
tuit. Quamquam autem HABEBAT CONSTITVENDI JVS PAR
OMNIBVS , tamen hæc congruenter fiebant ob virtutem viri , & ob hoc ,
quod tum temporis Praefectura , non honos erat , sed cura subditorum . S. Petrus
habebat jus par omnibus non solum seorsim , sed etiam simul
sumptis : quandoquidem S. Chrysostomus significat eum cet-
tum aliquod jus par omnibus habuisse , quod non exercuit ;
quamquam autem habebat constituendi jus par omnibus , tamen , &c. Exer-
cuit autem jus quoddam , quo quilibet aliorum usus est , &
præstantiori modo. Nam Doctorem constituit , & primus omnium aucto-
ritatem usurpavit in negotio. Quod ergo aliud jus par omnibus ha-
bebat ? ut scilicet solus posset eligere , quod omnes simul fecerunt , Petro humilitatem custodire , atque invidiam effu-
gere

gere volente. Prosequitur deinde S. Chrysoſtomus ; Merito primus omnium auctoritatem uſurpat in negotio , UT QUI OMNES HABEAT IN MANU : Ad hunc enim dixit Chriſtus , Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Dixerat autem antea : Quam eſt ſeruidus ? QVAM AGNOSCIT CREDITVM A CHRISTO GREGEM ? Quam in hoc Choro Princeps eſt ? Et ubique primus omnium incipit loqui. Illa certe verba ; UT QUI OMNES HABEAT IN MANU , conjuncta cum iſtis, QVAM AGNOSCIT CREDITVM A CHRISTO GREGEM , aperte declarant ex mente S. Chryſoſtomi non ſolum reliquos Diſcipulos ſeorſim ſumptos , ſed integrum quoque gregem , etiam congregatum , B. Petro cum iſtis exiſtenti , ſed ſeorſim ab iſtis conſiderato , ſubeſſe.

CAPUT XIII.

Confirmatur præminentia ſummi Pontificis ſupra Concilium ſue Pontifice.

1. **C**onſentiunt Catholici ſummum Pontificem eſſe viſibile Caput Eccleſiæ. Viſibile inquam ; nam inviſibile , ac primum , & præcipuum ſolus Chriſtus eſt. Caput autem non ſolum pars corporis præcipua eſt ; ſed & in eo ſolo vigent omnes ſenſus , ut ſi diſcindi ſine interitu corpus poſſet , Caput cæteris omnibus membris , etiam ſimul ſumptis , præſtantius foret. Frequentiſſimus eſt in tota vita civili , præſertim apud Jurisconſultos , ut caput pro perſona ipſa accipiatur , quod de reliquo corpore vix aliquod reperias exemplum.

2. Cùm nunquam contigerit (neque futurum ſit unquam) ut ſummus Pontifex legitimus , & indubitatus magnum vel majorem Episcoporum numerum , à ſua parte ſtantem non habeat : Nonne Eccleſiæ Corpus per Caput cum multis aliis membris præcipuis melius repræſentabitur , quàm per alia membra ſine capite ? Quid igitur aliud efficiunt , qui Concilium ſine Pontifice cum Pontifice ſolo comparant , eique præferunt , quàm ut pernicioſo ſchiſmati viam aperiant ?

Mm 3

3. Ipsi

III
731

3. Ipsi etiam Episcopi non solum seorsim, sed etiam in Concilio congregati, Romanum Pontificem Caput, ac Patrem habent. Hoc inter alia profitetur Concilium Chalcedonense in Epistola seu relatione ad S. Leonem sub finem: *Regamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos CAPITI in bonis adiecimus consonantiam, sic & Summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Caput autem Concilii dicitur Pontifex non tantum quod primo, ac praecipuo loco sit, sed quia, ut ait idem S. Leo alibi citatus; *Christus ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in corpus omne diffundit.* Sicut ergo quilibet Episcopus, quia est Ecclesiae particularis Caput, ipsa met Ecclesia particularis esse censetur, ejusque Pastor, & Doctor, quem audire, ac sequi tenentur non solum singuli, sed etiam omnes illius Dioecesis homines; nec ad eos de illius doctrina & regimine spectat judicare, sed ad superiorem extra Dioecesim; ita summus Pontifex, Ecclesiae universae Caput, ipsam solus melius, quam caetera membra sine ipso, videtur exhibere; ejusque Pastor, & Doctor est, cui tenentur obedire tum Laici, tum Clerici, tum seorsim, tum conjunctim, quotquot intra Ecclesiam sunt.

4. Adeo difficilis, ac ferè impossibilis est Conciliorum generalium congregatio, ut verisimile non sit Christum principalem eis Ecclesiae regendae potestatem contulisse. Etenim per tria prima saecula, cum Imperatores, aliique Principes, Infideles essent, & ad Ecclesiam persequendam, quam juvandam paratiores; nullum haberi potuit hujusmodi Concilium: Omnesque tunc temporis haereses studio, & auctoritate Romanorum Pontificum potissimum extinctae sunt. Posset autem contingere, quod tamen disponente Divina providentia nunquam futurum sperandum est, ut per totidem saecula, vel plura idem impedimentum obstaret.

5. Incommodorum in convocandis Conciliis occurrere solitorum partem recenset S. Ambrosius Epist. 9. lib. 1. his verbis; *Vexabuntur Sacerdotes Senes, transfretabunt maria, iterum invalidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta Altaria deserentur, ut in longinqua proficiantur, iterum pauperum turba Episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, aeterna opis egentes, compellentur inopiam gemere, aut certe victum inopum itineris usurpare.* Praeterea tam diversa sunt

sunt Principum Christianorum studia; tam frequentes bellorum perturbationes, tot circa præcedentiam, & alia capita contentiones; ut ob varias illas difficultates, quarum aliquæ posteriora Concilia tandiù produxerunt, Scriptores dixerint, esse ferè impossibilem Conciliorum generalium congregationem.

6. Præstantia hic præcipuè propter certitudinem attenditur. At infallibilitatem sententiæ Concilii œcumenici auctoritati summi Pontificis, potiùs quam aliorum Episcoporum numero, adscribendam, ipsâ experienciâ constat. Nam aliqua Concilia valdè numerosa erraverunt, ac per summos Pontifices, & per alia Concilia emendata sunt; ut patet de Concilio II. Ephesino & de Concilio Ariminensi. Anno 754. habitum est Constantinopoli Concilium, quod sanctæ, magnæ, & universalis Synodi titulo sese insignivit, 338. Episcopis constans, quorum omnium suffragio definitum est, cultum imaginum esse idololatriam: hunc errorem correxit, seu damnavit Stephanus IV. Papa in Concilio Romano anno 769. deinde Hadrianus primus, & juxta ejus definitionem, septima Synodus generalis.

7. Declarat autem quæ sit in convocandis, ac dirigendis Conciliis sanctæ Sedis auctoritas, Epistola Hadriani ad Tarasium Constantinopolitanum lecta in 7. Synod. act. 2. *Quod si autem non perspecta mihi esset, & probè cognita erga Sacras Synodicas sex constitutiones, & venerandas imagines, vestra sinceritas, & orthodoxa fides, nequaquam ad Synodum convocandam assentiremus. Inprimis autem Vestra Sanctitas piissimis, & triumphatoribus nostris Imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, ut falsam congregationem illam sine consensu, ac præsentia Apostolica Sedis, contra omnem Patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, sine ordine, & debita convocatione, factam excretur, & anathematizatum præsentibus apocryphis nostris cognoscat: quo omne zizaniam ab Ecclesia eradicetur, & Jesu Christi Domini nostri verbum impleatur, cum ait; Et porta inferorum non prævalebunt adversus eam, & alibi; Tu es Petrus, &c.*

8. Eandem auctoritatem exponunt Gelasius epist. 13. & Nicolaus 1. epist. 8. sanctæ memoriæ Flavianum, inquit Gelasius, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secunda.

III
731

da Sedis Presulem suâ autoritate damnavit, & inpiam Synodum, non consentiendo submovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonensis fieret, SOLA DECREVIT, &c. Et Nicolaus primus; Non ergo dicatis, non egisse vos in causa pietatis Romana Ecclesia, qua collecta Concilia suâ autoritate firmat, suâ moderatione custodit. Unde quaedam eorum QVIA CONSENSVM ROMANI PONTIFICIS NON HABVERVNT, VALETVDINEM PERDIDERVNT. Quomodo non egeat qualibet Synodus Romana Sedis, quando in Ephesino latrocínio, cunctis Prasulibus, & ipsis quoque Patriarchis probantibus, nisi Magnus Leo, imitator scilicet illius Leonis, de quo scriptum est, vicit Leo de Tribu Juda, Divinitus excitatus, os aperiens, itum orbem, & ipsos quoque Augustos concuteret, & ad pietatem commoveret, Religio Catholica penitus corruisset.

9. Nec cogites Concilia illa dumtaxat, quæ sine ulla Summi Pontificis autoritate congregata fuerant, vel in proferenda sententia libera non fuerunt, per eos, quibus dictum est in persona Petri; *Confirma fratres tuos*, fuisse confirmanda. Etenim in Concilio Chalcedonensi Act. 5. proposita ab Asclepiade fidei definitioni; vel periculosæ, vel imperfectæ consenserant omnes Episcopi, eamque cum applausu exoperant præter aliquos Orientales, & sanctæ Sedis Legatos, qui recessuros se à Concilio protestati sunt, nisi Episcopus S. Leonis integrè susciperetur, suppressâ illâ definitione, in qua sub verbis ambiguis, & æquivocationi obnoxii Dioscorigi virus latere suspicabantur; quæque adeo rectæ fidei nocere potuisset.

10. Concilia Oecumenica, nisi Summi Pontificis autoritatem superiorem esse cognovissent, quomodo ejus non suo nomine, Decreta communi consensu constituta edi passent; ut autoritatem à Pontifice mutuari, approbationem tantum à Concilio habere intelligerent? Quod in iis dumtaxat Conciliis observatum legimus, quibus interfuit ipsemet Papa, quo expressiùs significaretur personæ ipsi summi Pontificis quatenus Petri Successoris, hanc competere prærogativam. Unde in Conciliis tantum Occidentalibus ea forma servata est, eo quod in Orientalibus nunquam adesse voluerint summi Pontifices, licet rogati, & aliquando facillè, vel sine magno incommodo adesse potuissent.

11. Quamquam extant etiam illius prærogativæ vestigia

in Conciliis Orientalibus. Nam condemnatio Dioscori in Concilio Chalcedonensi sub nomine S. Leonis, quamvis absentis, cum approbatione, & subscriptione Episcoporum à Paschasino Legato edita est; *Sanctissimus, & Beatissimus Archiepiscopus magna, & senioris Romae* LEO, PER NOS, ET PER PRÆSENTEM S. SYNODVM VNA CVM TER BEATISSIMO, ET OMNI LAVDE DIGNO BEATO PETRO APOSTOLO, qui est *petra, & crepido Catholicae Ecclesiae, & recta fidei fundamentum*, nudavit eum (Dioscorum) tam *Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio*. Magna est energia verborum illorum; Leo per nos, & per presentem S. Synodum, quibus denotatur *Papae auctoritas*; & sequentium, una cum *ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro*, quibus significatur auctoritatis origo, scilicet privilegium Romanis Pontificibus in persona Beati Petri à Christo collatum. Nec illam sibi auctoritatem vindicaverunt Apostolicae Sedis Legati, nisi postquam eis dictum fuit; *Petimus vestram Sanctitatem qui habes, magis autem qui habetis locum sanctissimi Papae Leonis, promulgate in eum, & regulis instam contra eum proferre sententiam. Omnis enim & tota universalis Synodus concors efficitur vestrae Sanctitatis sententia*. Concil. Chalcedonen. Act. 3. in qua lecti sunt etiam nemine reclamante plurimi libelli, in quorum titulo distinguebatur sanctus Leo à Concilio, ei que anteponebatur, nec non Patriarcha, vel Archiepiscopus universalis appellabatur.

12. Quamvis Reges, alique Principes à populo plerumque suam auctoritatem acceperint, non à Deo, nisi mediata; tamen Regem Galliae Comitibus generalibus superiorem esse, qui revocaret in dubium, puto tanquam laesae Majestatis reum habendum; Eamque superioritatem omnes intelligunt in eo significatam, quod, quae in Comitibus deliberata sunt, Regis nomine inscribuntur, & auctoritate promulgantur. Cùm in Comitibus generalibus Galliae sub Henrico III. conscripti fuissent quidam articuli, quibus exigebatur ut Rex Comitiorum sententiam sequi teneretur, repudiati sunt, tanquam Regiae Majestati injuriosi: & jure merito inquit *Dupleix* ista recitans, nam Rex verè Rex non esset, si ei à Comitiorum sententia recedere non liceret. Porrò quomodo summus Pontifex Ecclesiae subjacebit, à qua suam non est mutuatus potestatem, & cui potius jure Divino, tanquam Christi Vicari-

III
731

282. TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
rius ex Constantiensi Concilio sess. 8. tanquam Caput cor-
pori juxta Concilium Chalcedonense Act. 3. & in Epistola
ad S. Leonem; tanquam Pastor gregi, ut canit Ecclesia, præ-
positus est.

C A P U T X I V.

*Rursus confirmatur præminentia Pontificis supra Con-
cilium.*

1. **A** Dstruitur etiam Papæ superioritas iis omnibus argu-
mentis, quæ probant supremum esse Romani Pontifi-
cis Tribunal, nec ab illo licere appellare; *Aliorum fortè hominum
Causas* (inquit Ennodius Diaconus, cujus doctrinam rece-
pit, & approbavit, tanquam sua Decreta, Concilium Ro-
manum V. sub Symmacho Papa, quemque aliâ occasione jam
supra citavimus) *Deus voluit per homines terminari: Sedisistius Præsulem
suo sine questione reservavit arbitrio; voluit B. Petri Successores Cælo tantum
debere innocentiam.* Præmiserat autem, Concilio potestatem,
quam aliàs non habuisset, ad judicandum Papam, ab ipsomet
Pontifice concessam: *Judicia, & iste voluit, amavit, attraxit, in-
gressus est: & quod posset fidelium corda doloris justis aculeis excitare, Ven-
rando Concilio auctoritatem, etiam contra se, si mereretur, indulgit.*

2. Concilium Lateranense sub Alexandro III. majorem
vult adhiberi cautelam in eligendo Romano Pontifice, quia
Episcoporum quidem reliquorum electio, vel electus Episco-
pus, emendari poterunt, sed quoad Romanam Ecclesiam
NON POTERIT AD SUPERIOREM HABERI RECURSUS. Con-
cilii Lateranensis sub Leone X. testimonium protulimus
cap. 5.

3. Cæterum si in propria causa Romani Pontifices audiri
debent (fieret autem illis magna injuria, præsertim sancti-
tate, doctrinâ, & prudentiâ conspicuis, si non audirentur)
plurimi sunt, qui hanc suæ Sedi auctoritatem vindicarunt.
In collectione Lucæ Holstenii in Synodo Romana num. 8.
Bonifacius Rufo Thessalonicensi scribit; *Talia scripta direximus,
quibus universi fratres intelligant, primum convenire te citra tuam conscientiam
minime*

minime debuisse: Deinde de nostro non esse iudicio retractandum. NUN-
 QUAM ETENIM LICUIT DE EO RVRSVS, QVOD SEMEL STA-
 TVM EST AB APOSTOLICA SEDE, TRACTARI.

4. Sanctus Gelasius in Epist. 13. jam citata, quæ est ad Epif-
 copos Dardaniæ; Cuncta, inquit per Mundam novit Ecclesia, quoniam
 quorumlibet sententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apostoli jus habeat re-
 solvendi, utpotè quod DE OMNI ECCLESIA FAS HABEAT IVDI-
 CANDI, NEQVE CUIQVAM DE EIVS LICEAT IVDICARE
 IVDICIO: Si quidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari vo-
 luerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus: Deinde variis exem-
 plis confirmat auctoritatem summi Pontificis supra Concilia;
 sed nec illa præterimus, quod Apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more
 majorum etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi quos Synodus inique
 damnaverat, & damnandi nulla existente Synodo quos oportuit, habuerit sa-
 cultatem: Sancta memoria quippè Athanasium Synodus Orientalis addixerat,
 quem tamen exceptam Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consen-
 sit, absolvit; Itemque sancta memoria Flavianum Pontificum congregatione
 damnatum pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absolvit;
 potiusq; qui illi receptus fuerat, Dioscorum secunda Sedis Præsulem sua auto-
 ritate damnavit, & impiam Synodum non consentiendo submovit, &c. Idem
 scribit Epist. 4. seu commonitorio ad Faustum; Nobis oppo-
 num Canones dum nesciunt quid loquantur, contra quos hoc ipso venire se pro-
 dunt, quod sancta Sedi sana, rectaq; suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt Ca-
 nones qui appellationes totius Ecclesie ad huius Sedis examen volvere deferrunt; ab
 ipsa vero nusquam prorsus appellari sanxerunt, ac per hoc ILLAM DE
 TOTA ECCLESIA IVDICARE, IPSAM AD NVLLIVS COM-
 MEARE IVDICIUM. Nec de ejus unquam præceperunt iudicio iudicare, sen-
 tentiamq; illius constituerunt non oportere dissolvi, cuius potius sequenda de-
 creta mandantur.

5. Gelasium secutus, & imitatus est Nicolaus I. epist. 8.
 etiam supracitata quæ est ad Imperatorem Michaellem; Quo-
 niam, inquit, cum secundum Canones ubi est major auctoritas iudicium infe-
 riorum sit deserendum ad dissolvendum, scilicet, vel ad roborandum, patet pro-
 fectò Sedis Apostolica, cuius auctoritate major non est, iudicium à nemine fore re-
 tractandum, neque eniquam de ejus liceat iudicare iudicio, si quidem ad illam de
 qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare
 permissus. Juxta quod & Bonifacius, atque Gelasius Sanctissimi Præsules, non
 suis adinventionibus, sed Ecclesie Romanae consuetudines non ignorantes dicunt.

III
 731

6. Non minus perspicua est Paschalis II. sententia Epistola ad Archiepiscopum Poloniae, relata à Baronio è Codice Vaticano ad annum 1102. *Aut in Concilio statutum non inveniri, quasi Romana Ecclesia legem Concilia ulla praefixerint, CVM OMNIA CONCILIA PER ECCLESIAE ROMANAE AVTORITATEM, ET FACTA SINT, ET ROBVR ACCEPERINT, & in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiat.*

7. Denique nec ipsi Antesignani auctoritatis Conciliaris aut sunt indiscriminatim asserere à Summo Pontifice posse ad Concilium provocare in quolibet casu. NON EST FAS (inquit Joannes Gersonius tractatu, quomodo, & an liceat in causis fidei à Summo Pontifice appellare, seu ejus judicium declinare) APPELLARE A PAPA, vel ejus judicium in causis fidei declinare, non quidem pro omni, & in omni casu, sed quando facit id, quod in se est, & quando non apparet devius à fide, sed ambulat rectè ad veritatem Evangelii sine personarum acceptione. (Ecce quibus in casibus secundum Gersonium à Summo Pontifice non licet appellare) Porro Dominus noster tollere poterit efficaciter suspicionem similtam, qua contra sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compenset: hoc est si sponte, nullo requirente, damnet illam doctrinam pestiferam, & crudelem contra Polonos cum similibus aliis, cum tali celeritate, & rigore, qualem fidei materia vergens in scandalum, & perniciem Reipublicae postulat, & requirit, procul abjecta quavis acceptione personarum.

8. Materiam istam egregiè tractat Franciscus Victoriae relectione 4. proposit. 20. ubi appellationes istas rejiciens post alias solidas probationes addit; Præterea hoc probatur experientia, & exemplis, qua in moralibus faciunt magnam probationem. OMNES ENIM APPELLATIONES HACTENUS FACTÆ AD CONCILIUM MALE CESSERVNT, ET TANDEM DEVENERVNT IN SCHISMA ALIQUOD, VEL ETIAM HÆRESIM. 3°. Quia hoc esset magna occasio perturbationis in Ecclesia: quia si Papa timeret, ne facta ejus deberent resisti in Concilio, nunquam vellet congregare Concilium, cum magna jactura profectò rerum Ecclesiasticarum; & congregare sine illo, vel non licet, vel esset valdè difficile. Semper enim erunt aliqui, imò major pars, qui velint sequi partes Pontificis, & unus Princeps foveret Concilio, alius Pontifici; Et sic nihil pacificè nec ad utilitatem Ecclesiae fieri posset: imò essent multo majores turbationes, ut experientia compertum est. Nec minus acriter illas appellationes impugnat Mauclerus de Monarch. Eccles. lib. 3. cap.

cap. 10. Quintum denique, inquit, ac postremum de præcipuis privilegiis illud est, de quo hic questio vertitur, quod supra tetigimus, contra quod ridicula sunt à quibusdam Schismaticorum partes sua partim malitia, partim impunita forentibus, objectiones, nonnullaq; ad suam confirmandam rebellionem exempla producuntur: quæ à doctissimo nostræ ætatis Theologo viro sanctissima vita Valeo, eruditè refutata & explosa studiosus Lector videre poterit. Tot sacris Ecclesiæ Decretis, Canonibusque veluti Divini Sancti Spiritus oraculis ritè consideratis, justiq; ratiocinio Theologicaq; sapientia trutinatis examine, quam jusse spirituales anathematis gladium contra provocantes à Pontificii Monarcha iudicio ad futurum Concilium, à sanctissimis Sedis Apostolica Præsulibus evaginatum fuisse credere debemus.

9. Testatur libertatum Ecclesiæ Gallicanæ defensor Dominus Petrus de Marca, usum illum esse novum. Sic enim inchoat cap. 17. lib. 4. Superiore capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam inveltam ab iis, qui se Romana Curia censuris præmi existimabant; scilicet appellationem à Papa Decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admissa fuit provocatio à Papa ad Concilium. Numero autem 4. originem notat his verbis; Primus omnium, qui appellatione ad Concilium usus est, prodit se apud Historicos Fridericus II. Imperator. Sed ut refert Matthæus Parisius in verbis à Marca relatis, Legatus Friderici appellavit à Concilio ipso generali, quod tunc scilicet anno 1245. Lugduni congregatum erat, ad aliud generalius. Appellavit pro eo ad Concilium proximè futurum generalius. Nec enim nunc omnes Prælati, vel eorum, vel Principum Procuratores apparent hic impresentiarum.

10. Itaque appellationum illarum origo, ut lib. 10. videbimus, ad Gallos referenda erit, qui anno 1303. nomine Philippi IV. dicti Pulchri Franciæ Regis appellarunt à Bonifacio VIII. ad futurum Concilium. Primo loco illam refert, qui probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ collegit cap. 13. cujus titulus est de hujusmodi appellationibus. Verum tunc allegabatur aut fingebatur Bonifacium non esse legitimum Pontificem, & perinde appellabatur ad futurum legitimum Pontificem, ut ad Concilium generale.

11. Nec nisi post schisma invenietur interposita appellatio absoluta à Summo Pontifice pro vero accepto, ad futurum Concilium. Itaque cum Concilium Papæ præponi cœpit, aperta est via ad appellandum ab illo ad istud. Multum autem

verendum est ne illæ appellationes eo sine assumantur, ut obtegatur inobedientia prætextu Concilii, quod vel impossibile, vel difficillimè haberi posse compertum est.

12. Cæterùm antiquorum Scriptorum tum in Gallia, tum in aliis Provinciis Christianis doctrina erat, à Papæ sententia non posse provocari: Ita Hincmarus Episcopus Remensis tom. 2. epist. 44. quæ est ad Episcopos Diœcesis Remensis n. 25. Ivo Carnotensis in Decreto par. 5. cap. 9. & 10. & epist. 233. & 236. Potho Presbyter Pruniensis de statu domûs Dei, lib. 3. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis epist. 73. S. Antoninus & alii etiam ex recentioribus sanctæ Sedi minus æquis, ut Carolus Feyretus lib. 9. de abusu cap. 3. num. 15.

13. Denique cum Summo Pontifici vineæ custodia à Salvatore commissa sit, ut confessa est Synodus Chalcedonensis in relatione ad S. Leonem; id est, cum Petro totius Ecclesiæ cura commissa sit, ut scribit S. Gregorius lib. 4. epist. 32. cum idem officium ad singulos Petri successores transferit, & singulis cum S. Fulberto Episcopo Carnotensi epist. 22. dici possit; *Dilectissime Pater cui totius Ecclesiæ cura commissa est: cum eis Gregis sit commissa custodia, ut docet S. Epiphanius de B. Petro Ancoratus cap. 4. Cum Summus Pontifex aliis quam pluribus titulis à sanctis Patribus insigniatur, quibus significatur unum Papam esse super Ecclesiam mundi totius, ut Episcopi Patrensis apud Liberatum Brev. cap. 22. verbis utar, quomodo illi præferendum esset Concilium generale, licet totam Ecclesiam sine Pontifice repræsenteret. Quomodo successor ejus, cui totius Ecclesiæ gubernacula tradita sunt, ut prædicat sanctus Maximus Episcopus Taurinensis homil. 3. in Natal. Beatissimorum Petri & Pauli, gubernandus ipse esset ab Ecclesiæ parte quantumvis præcipua? Sanior videtur sententia Joannis de Selya in Senatu Parisiensi Præsidis tract. de benefic. parte 3. quæst. 8. num. 32. Papa, inquit, præfertur toti Concilio.*

CAPUT XV.

Respondetur auctoritati Concilii Constantiensis.

Duplici præcipuè ratione impugnabat Eugenius IV. hujus Synodi de Conciliorum generalium auctoritate Decreta. Prima quod dubia esset eorum auctoritas. Secunda quod ad tempus schismatis restringenda essent. Utramque improbant Illustrissimi Præsules Comitiorum Parisiensium his verbis: *Nec probati à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum quasi dubia sine auctoritate, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solvendum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant. Sed nunquid etiam Comitii Cleri Gallicani inferior est auctoritas Papæ, ac illorum potius quam Summi Pontificis sequenda sententia?*

2. Eugenius igitur Decreta, de quibus est quæstio, hæc in primis ratione non valere contendebat, quod ab una tantum obedientia fuissent facta, id est à Prælati Joanni XXIII. obedientibus, quod affirmat etiam Cardinalis à Turrecremata de rei veritate optimè instructus, ac gestorum ex parte oculatus testis, & pro suo merito fide dignus. Rem narrat his verbis, summâ de Ecclesiâ lib. 2. cap. 99. *Notandum quod Congregatio illa Constantia celebrata tria tempora habuit. Primum fuit, in quo sola obedientia præfati Joannis Balthasar Constantia convenerat. Secundum tempus fuit, in quo Angelus Coriarius vocatus in obedientia sua Gregorius XII. juri suo cedens præfata Congregationi se sub certis modo, & formis conjunxit. Tertium tempus est, in quo Reges, & Principes, ac Prælati obedientes Petro de Luna, Benedicto XIII. vocato in obedientia sua per suos Oratores novâ factâ invocatione Concilii se unierunt præfata Congregationi ad pacem dandam universali Ecclesiæ. Et fuimus nos tunc præsentés in minoribus constituti, pro quo solo tempore convenientibus omnibus simul tribus obedientiis fuit certum dicere, quod universalis Ecclesia representativè congregata esset Constantia. Nullus autem dubitat, quin asserere quod sola obedientia Joannis fuisset Concilium universale, universalem Ecclesiam representans, esset temerarium, & scandalosum aliis dualibus obedientiis. Tertio ea que inducuntur de decretis Concilii Constantiensis non militam: quoniam auctoritati illius alia duo obedientia, scilicet Gregorii, & Benedicti apertissimâ contradictione in plena Congregatio-*

ne se opposuerunt, & eorum contradictio fuit accepta. Subjungit infra idem Cardinalis; in illorum determinatione non modo non interuenit uniuersalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII. ut dictum est, sed etiam non integrè tota illa obedientia; quoniam plures Patres doctissimi illius obedientia illis non praestiterunt consensum, aut assensum suum. Item nec ipsa in sua obedientia uocatus Joannes XXIII. quoniam cum post recessum suum à Constantia Scaphuse constitutus audiret praefatam declarationem consensam, Dominis Oratoribus Christianissimi Regis Francia uisitantibus eum, uidelicet Domino Duce Bavaria, Domino Nicolao de Colavilla, aliisque eorum Collegis amaro animo conquestus est falsa quaedam, & erronea aduersus auctoritatem Summi Pontificis Romani decreta per emulos suos post recessum ejus esse conclusa, &c. Quae omnia confirmantur ab aliis Scriptoribus, & ab Actis ipsis Concilii Constantiensis, in Bibliotheca Vaticana extantibus; quorum summam in lucem nuper emisit doctissimus vir Emanuel Schelstrate.

3. Ceterum quoniam Illustrissimi Antistites Parisienses haec Decreta à Sede Apostolica comprobata dicunt, quod praecipuè de Martino V. intelligendum uidetur, qui depositus à Concilio Constantiensi tribus Pontificibus, inter se de Pontificatu contendentibus, Pontifex creatus est, & ab omni Ecclesia pro uero, & legitimo acceptus; uidendum est, quae fuerit ejus de his decretis mens. Sed prius obseruandum est, etiam si Concilium Constantiense legitimum non foret, Martinum nihilominus legitimum fore Pontificem, quippe cum Joannes, & Gregorius Papatui renunciarint, ut patet ex Actis Concilii Constantiensis sess. 12. & 14. & Gregorius ante decesserit, quam Martinus V. eligeretur, ac deinde Clemens VIII. Benedicti successor eidem Martino cesserit. Praeterquam quod ex auctoritate Concilii ad tollendum schisma, non ritè, cum sit exceptio regulæ generalis, inferretur auctoritas indefinita supra Papam in omnibus casibus.

4. Ut autem ad Martinum V. redeamus, prohibuit ille appellationes ab Apostolica Sede, seu Romano Pontifice, ut testatur Joannes Gersonius tractatu, *Quando, & an liceat à summo Pontifice in causis fidei appellare, seu ejus iudicium declinare*. Quae ceterò prohibitio absque fuisse, si Concilii iudicium iudicio Papae superius existimasset. Quis enim Judicem non derideat, à sua sententia ad Judicem superiorem appellari uentem, in

is causis, in quibus alius est re vera Judex superior. Fuit autem promulgata illa Martini V. Constitutio in Consistorio generali celebrato Constantiæ sexto Idus Martii Anno primo, idest ante finem Concilii, quod terminatum est 10. Kalendas Maii anno 1418. etiam Pontificatus primo, & à Pontifice approbatum: quæ confirmatio in actis refertur his verbis; *Santissimus Dominus noster Papa dixit, respondendo ad prædicta (scilicet de condemnatione libelli Joannis Falkenberg) quod omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, & observare inviolabiliter volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsa; sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo, & illud idem iterato secuti dicit per organum Domini Augustini de Pisis Fiscalis, & sacri Consistorii Advocati prædicti, qui NOMINE PAPÆ à Prothonotariis, & Notariis ad scribendum Acta Concilii ordinatis, & deputatis petiit instrumenta publica fieri. Quorum autem verba illa, & non aliter, nec alio modo, nisi ut Decreta illa, quæ ut supra vidimus, à solis Prælati obedientiæ Joannis XXIII. nec etiam ab illis omnibus, edita fuerant, probare non videretur.*

5. Verùm licet illa Concilio generali adscriberentur, & quæ à Martino V. aut Eugenio IV. in genere dicta sunt, ad hæc, de quibus specialis, imò specialissima facienda fuisset mentio, referri possent; non tamen extra casum schismatis, de quo tunc erat quæstio, aut hæresum, de quibus accusabantur Pontifices contententes, ad alios casus essent detorquenda; quæ altera erat Eugenii ratio. Nec enim ibi generaliter statuitur omne Concilium generale in omni casu supra Pontificem autoritatem habere, sed tantùm Concilium Constantiense, & alia generalia, quæ ob eandem causam congregari opus esset. Hæc enim sunt verba Concilii Constantiensis sess. 5. *In nomine sanctæ, & individua Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione ipsius schismatis, & unione, & reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris ad laudem Omnipotentis Dei, & in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius unionem, & reformationem Ecclesiæ ordinat, diffinit, decernit, & declarat ut sequitur. Et primò declarat quod IPSA in Spiritu sancto legitime congregata Concilium generale faciens, & Ecclesiam Catholicam representans po-*

o o

restat

III
731

restatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur IN HIS, QUÆ PERTINENT AD FIDEM, ET EXTIRPATIONEM DICTI SCHISMATIS, & reformatioem dicte Ecclesie in capite & in membris.

6. Item declarat, quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, ac PRÆCEPTIS HUIUS SACRÆ SYNODI, & cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati SUPER PRÆMISSIS, SIVE AD EA PERTINENTIBVS, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigna poenitentia subiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. Idem iisdem ferè verbis statuitur sess. 4. Notanda sunt illa verba ipsa (scilicet Synodus Constantiensis) in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis: Præceptis huius sacrae Synodi: super præmissis, sive ad ea pertinentibus, quæ Decreta illa circumscribunt, ac sine limitatione intelligere vetant.

7. Testis est ipsemet Joannes Gersonius, tantùm ad Conciliorum generalium autoritatem constituendam fervens, sententiam de superioritate Papæ ad Concilium, non solum antè, sed etiam post Decreta Concilii Constantiensis à multis fuisse propugnatam, quod evidens signum est decreta illa, vel non esse Concilii verè generalis (alioquin enim à nemine Catholico revocarentur in dubium) vel in certo dumtaxat casu locum habere. Si enim generalia essent, quis superesset disputandi locus apud eos, qui à Concilio verè generali statuta crederent? Fallor, inquit Gersonius, de potest. Eccles. considerat. 12. Si non ante celebrationem sacrosanctæ huius Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum litterarum magis, quam litterariorum ista traditio, ut oppositorum dogmatizator, fuisset de hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Huius rei signum accipe, quia post declarationem, & quod urgentius est post determinationem, & practicationem ipsius sanctæ Synodi inveniuntur qui talia passim asserere non paveant. Rationem autem cur huic sententiæ tantùm esset insensus, hanc insinuat considerat. 10. quia scilicet ut ipse arbitrabatur, eam semper manente perseverasset semper schisma ab ea nutritum.

8. Ex quo conjicitur de hoc tollendo malo cogitasse quotquot recta intentione Concilium Papæ anteferre studuerint. Cæterum enim non solum ante Concilium Constantiense, sed

sed etiam postea extiterunt magni nominis Auctores, qui sententiam illam, summum Pontificem Concilio subijcientem erroneam judicarunt. Non solus Cardinalis Bellarminus, qui de Concil. lib. 2. cap. 11. hæc habet; Concilium Basileense cum Legato Pontificis communi consensu statuit Concilium esse supra Papam; quod certe nunc judicatur erroneum; Sed & alii quamplures; ex quibus Franciscus de Sylvestris, vulgò Ferrariensis, à patria nuncupatus, Ordinis Prædicatorum Generalis, super S. Thomam lib. 4. contra gent. cap. 76. in fine sic scribit; Ex prædictis constat vanam esse, & à Fide Christiana alienam opinionem dicentium Concilium, & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsam Papam ab Ecclesia auctoritatem habere tanquam ab ipsa institutum; quæ censura non solam ultimam propositionem afficit, ut patet ex probationibus: sequitur enim; Nam manifestum est ex prædictis, quod Christus ipse regimem Ecclesie instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quod in Ecclesia Petrum, suum Vicarium, & Successores ejus instituit, sicut & ad Sacramenta dispensanda instituit Ministros. Unde cum dixit Petro; Pascere oves meas; præmisit interrogationem: Simon Joannis diligis me plus his? Ut ostenderet se auctoritatem Petro dare, ut distincto ab aliis discipulis presentibus. Propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba, ait præteriens alios, PETRO LOQUITUR, &c.

9. Doctrinâ, pietate, ac miraculis clarissimus S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus eandem doctrinam validè defendit part. 3. sum. tit. 23. de appellatione Papæ cap. 3. §. 3. fin. sed nec ad Concilium generale à Papa appellari potest: quia Papa omni Concilio superior est: nec robur habet quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur, & confirmetur. Sentire ergo quod ad Concilium à Papa appellari possit, est hæreticum, & contra illum articulum, Sanctam Ecclesiam Catholicam; sic autem superius argumentatur; Quicumque privilegium Romana Ecclesia à Christo traditum auferre conatur est hæreticus: sed dicens, & tenens, quod licet appellare à Pontifice Romano ad successorem ejus, auferit privilegium Romana Ecclesia à Christo traditum; ergo talis manifestè est hæreticus. Et sic probat minorem; Quicumque sentit Romanum Pontificem non esse summum, supremum, & unicum Caput totius Ecclesie, auferre conatur privilegium Romana Ecclesia à Christo traditum: sed quicumque à Papa appellandum sentit, sentit Papam non esse summum, & unicum Caput Ecclesie, ergo, &c. Unde sequitur quod quicumque hoc sentit: sentit contra artic. Nicæna Synodi, ubi dicitur unam Sanctam Ecclesiam, quia

292 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
Ecclesia habet unitatem ex unitate capitis. Unde & Joann. 10. dicit Christus,
Fiet unum ovile, & unus Pastor. Si licitum esset appellare à Papa, & illi,
ad quem appellatur, esset Caput. Sic Papa non esset Caput, vel essent duo Ca-
pita, quod esset monstruosum.

C A P U T X V I.

*Respondetur aliis objectionibus contra Superioritatem
Papæ ad Concilium.*

1. **S**I, ut capite superiori demonstratum est, à Decretis
Concilii Constantiensis efficax argumentum trahi non
potest ad probandum, Concilium generale legitimo, & in-
dubitato Pontifice non esse superius; cum id præcipuum sit
illius sententiæ fundamentum, eo everso corruet illa, aut
nutabit. Etenim ex aliis probationibus, aliquæ minus solidæ
mediocri ingenii Lectoribus statim apparent; Quæ autem
verisimiliores videntur, si attentè perpendantur, & dili-
genter discutiantur, non tantà vi pollent, ut animum ve-
ritatis sinceræ studiosum movere queant, quod ex earum
examine patebit.

2. *Probatio principalis* (ut dicitur in tractatu Universitatis
Cracoviensis super autoritate Conciliorum, justificatione
Concilii Basileensis, & depositione Eugenii IV. relato in
historia Universitatis Parisiensis tom. 5. ad annum 1440. Per
quam probatur superioritas potestatis Ecclesiastica super Papam, sumitur ex
conditione hujusmodi potestatis prout est in Ecclesia, & in Papa. Est namque
in Ecclesia hæc potestas continuè, permanenter, & perpetuè. Non est autem
assignare diem, horam, vel momentum, in quo Ecclesia deficiat hæc potestas,
& durabit usque ad consummationem sæculi; in Papa verò non est sic, cum
non semper vivat, possitque etiam privari, & sic carere hæc potestate, pos-
sitque de novo eligi, & iterum eam habere, & quoniam omne permanens,
& continuum præfertur variabili, interpolato, & temporali, sequitur, quod po-
testas, sive autoritas Ecclesiæ præemineat potestati Papæ. Si verum est
principium quod supponitur in eo discursu, sequetur potius
Papam esse supra Concilium. Non enim de Ecclesia formaliter
accepta agitur, sed de Concilio eam repræsentante, ut
patet

patet non solum ex propositione Cleri Gallicani, quam discutimus, sed etiam ex titulo, sub quo ponuntur verba supra scripta in illo tractatu. Est enim partis illius titulus; *De potestate Concilii*. Sic ergo argumentari possumus, OMNE PERMANENS, ET CONTINUUM PRÆFERTUR VARIABILI, INTERPOLATO, ET TEMPORALI, SED PAPA EST MAGIS PERMANENS, ET CONTINUUS, MINUS VARIABILIS, INTERPOLATUS, ET TEMPORALIS, QUAM CONCILIUM GENERALE, ERGO ILLI PRÆFERENDUS EST. Consequentia negari non potest, sicut nec prima propositio, quæ ipsorummet Adversariorum est. Secunda autem propositio ad oculum patet, semper enim per breviora intervalla defecerunt in Sede Apostolica Episcopi, quam Concilia œcumenica, multoque facilius est, uno deficiente Pontifice, alium eligere, quam Concilium generale convocare, quod vix semel per plura sæcula fieri potest.

3. Si ergo conveniens existimatur Divinæ providentiæ; ut auctoritatem regendæ Ecclesiæ universæ, illique fidei exponendæ, ac præscribendarum morum regularum, illic reposuerit, quo facilius esset accessus, ne nimis dilationes malorum incremento præberent occasionem; certè promptius, & expeditius à Sede Apostolica, quam ab universis mundi Episcopis, aut in Concilio generali congregandis, aut per universas mundi partes dispersis, fidei, ac morum norma exigetur. Nam antequam convenerint undique, ac consenserint, vel consulti responderint, omnes Prælati, hæresis, quæ velut cancer serpit, multas inficiet animas, quæ vix poterunt ab huiusmodi putredine purgari.

4. Prosequitur Universitas Cracoviensis. *Secundo quia potestas hæc semper in Ecclesia fuit, & est, & erit recta quoad ea quæ sunt juris, & fidei, nec unquam Ecclesia à fide deviauit. Papa vero frequenter, & o. Perstat oratio in æquivocatione, & Ecclesiam confundit cum Concilio, à quo absit legitimus Pontifex. Nemo Catholicus dubitat, quin Ecclesia formaliter accepta immota semper in fide permanferit, & permanfura sit. Sed quæritur à quo ei proponenda sit, & explicanda fidei veritas. Nec enim Ecclesia universa, quatenus complectitur omnes fideles, etiam laicos, eo dono prædita est, ut veritatem doceat; sed sunt in ea quorum munus est docendi alios; sunt quorum est tan-*

tum addiscendi; quamquam fieri non possit, ut tota simul Ecclesia errorem fidei contrarium recipiat; gaudent enim infallibilitate passiva, ut dicitur, sed quæstio est, penes quem sit suprema dicendi, ac regendi potestas, an penes Episcopos sine Summo Pontifice, an penes Summum Pontificem sine Episcopis, dum invicem distinguuntur.

5. Tertiò quia in Ecclesia (verba sunt ejusdem tractatus) est cognitio omnium necessariarum veritatis ad salutem, &c. sed à quibus oritur hæc cognitio, dum aliqua inest in verbo Dei obscuritas? Nonne ab eo, cui dictum est; *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Confirma fratres tuos. Pascite oves meas.* vel solo, vel advocatis aliis Episcopis pluribus, vel paucioribus, prout ex rei gravitate, ac temporum opportunitate congruum judicaverit?

6. Sed posset adhuc magis urgeri difficultas ista. Quamvis enim facilius sit eligere Papam, eumque consulere, quam Concilium generale congregare, vel omnium Episcoporum suffragia seiscitari; tamen per breves illas moras, quibus vacat Sedes Apostolica, Ecclesia fundamento carens collaberetur; Pastoris destituta erraret; fratres, deficiente qui confirmaret, à fide dimoverentur; si usque adeò litteraliter intelligenda essent scripturæ loca, quibus summi Pontificis auctoritas constituitur. Hæc tamen, si quid valent, contraria opinionis sectatores, magis quam nos, premunt; Cum enim jurisdictionem quam nos summo Pontifici, illi Concilio generali vindicent, quis ea munia obibit interim, dum convocabitur Concilium generale, vel exquirentur omnium Episcoporum vota, quod longiorem trahit moram.

7. Verùm in summo Pontifice, non persona ipsa, quæ morti, aliisque casibus humanis subjacet, sed dignitas, auctoritas, & Jurisdictio attendendæ sunt, quæ semper virtute perseverant. Etenim Petro, seu fundamento, nititur Ecclesia, ab eo confirmantur fratres; ab eo pascuntur Christi oves, & Agni; quia fides, & morum regulæ, quas explicat, Ecclesiæ firmamentum, & cibus sunt. Mortuo autem Pontifice inmotæ permanent ab eo tradita, vel explicata dogmata. Et, si qua oritur nova difficultas, solvetur à Successore, cujus multò expeditior est electio, quam Concilii ex toto terrarum orbe congregatio. Itaque non deficiet

unquam Ecclesiæ fundamentum, firmanentum, & cibus.

8. Si quis autem inſter, ſaltem tunc temporis Concilium generale ſupremam immediatè à Chriſto juridiſtionem habere, nihil contra nos ager, qui Cœtum, ſeu Concilium generale, cum legitimo, & certo Pontifice conferimus; non autem de Concilii generalis poteſtate, Sede Pontificali vacante, diſputamus. Cæterùm docent plures Autores, eo caſu poſſe tantùm Concilium providere neceſſitatibus urgentibus, & ut Pontifex creetur, procurare; Non autem quæ ad ſtatum Eccleſiæ univerſæ attinent, non expectato Pontifice, diſſinire. Ita Joannes Bagotius Gallus, ſcilicet Rhedonenſis, è Societate Jeſu in Apologetico fidei par. 1. lib. 4. diſput. 2. cap. 1. ſect. 2. num. 7. *Nec verò Eccleſia univerſalis, ſi Sedes Petri vacat, aut ob ſchiſmatis diſcordiam de verò S. Petri ſucceſſore dubitatur, aliud jus, & poteſtatem habet, quàm ut eas quæ ad ſchiſma tollendum pertinent, res tractet, & ſibi legitimum Caput provideat, SINE QVO NEC ROMANA, NEC VLLA ALIA ECCLESIA HABET A DEO PROMISSAM OPEM, ET AUXILIUM INFALLIBILE, PRO CONTROVERSIIS FIDEI DIRIMENDIS, SEV STATVENDO QUID CREDERE DEBEAT, &c.* Sanè ut obſervavit Andreas Duvalius, de Eccleſiaſtica poteſt. pag. 58. *Sicut in Eccleſia Cathedrali, Sede vacante nihil eſt innovandum, ita nec in Eccleſia univerſali deſiciente ſummo Pontifice.*

9. Objiciuntur adhuc varia incommoda, quæ accidere poſſent, ſi abſoluta Pontificis poteſtatis uſus, Conciliorum juridiſtionem, ac directionem non ſubderetur. Sed eadem, & majora ſequerentur ex ſubjectione Papæ ad Concilium, Itaque in utraque ſententia reſpondendum eſt, fore ut Divina providentia incommoda iſta modis etiam nobis ignotis, propulſet, ne potèſt inferri adverſus Eccleſiam Chriſti; languine redemptionem prævalcant.

10. Hæc igitur ſine præjudicio Dignitatis, & autoritatis Conciliorum verè generalium dicta ſint, quorum uſum Eccleſiæ utiliſſimum eſſe certò cognoviſimus. Sed ut exiſtimamus, utque jam in principio notaviſimus, qui eorum autoritatem nimis efferunt, eorum convocatiõni, ac congregatiõni obicem ponunt, imò dum Concilium ſine ſummo Pontifice, quando legitimum, & certus exiſtit, de quo caſu omnis

nis

1. C
 De
 Concilio
 Gallicani
 III
 731

nis hæc instituta disputatio est, summo Pontifici opponitur, ac præponitur, non Ecclesiæ utilitati, ac securitati consultitur, sed via schismati aperitur. At verò ut capite cum membris consentiente frequentissima habeantur Concilia generalia, eorumque Decreta ubique, atque ab omnibus custodiantur, optandum, & procurandum est.

11. Ad autoritatem Concilii Basileensis, Papam Concilio generali absolute supponentis, respondendum videretur: sed illius Synodi exitus comprobavit, quam periculosa sit illa doctrina, quæ membra separat à capite, eaque invicem committens, caput aliis corporis partibus supponit. Si enim tunc alter Joannes Grangius Caroli VII. Francorum Regis animum in Eugenium IV. Pontificem commovisset; ac Divina providentia non permisisset, ut magis Principi illi suspectus esset Amedeus sub nomine Felicis V. à Concilio Basileensi creatus Antipapa, metuendum erat, ne dirum schisma rursus per plurimos annos Ecclesiam miserabiliter laceraturum foret.

12. Quamobrem consultissime prætermissa est ab Illustrissimis Præsulibus Gallicanis istius Concilii autoritas, licet ei quam adhibuerunt, Concilii Constantiensis Decretorum interpretationi suffragaretur. Hoc eorum silentium sufficientissima est responsio. Nec dubito quin argumentum ex ea reticentia validius appareat æquo cuilibet Judici, quam argumentum negativum, quod Launoius in favorem hujus Concilii trahit ex silentio Scriptorum circa pœnitentiam Cardinalis Arelatensis huic Concilio præsentis, vel tum quando depositus est Eugenius, & electus Amedeus, & tamen in Beatorum album à Clemente VII. relati; imò quam argumentum positivum quo Alexandrum VII. istud Concilium, approbasse infert ex illis ejus Pontificis verbis in Constitutione circa Conceptionem B. Mariæ Virginis. *Accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academicis.* Quia nimirum inter illas Academias intellexit Parisiensem; cujus ea de re opinio præcipue Basileensis Concilii autoritate nititur.

13. Quæ circa secundam istam propositionem adhuc afferenda viderentur in examine quartæ, quæ strictissimam cum ista conjunctionem, imò inseparabilem, si Launoio credimus, habet, Deo dante, dicemus.

CAPUT XVII.

Respondetur argumento Launoii ab epistola Siricii Papæ ad Anysum & ceteros Episcopos Illyricenses sumpto.

1. **L**Aunoiius Romani Pontificis auctoritatem armis impugnat, quæ si talia essent qualia ille asserit, nemo esset qui resistere valeret. Traditionem ubique minatur, etiam Romanæ Sedis; quod potissimum est probationis genus; ipsa scilicet partium, quarum interest, frequentius iterata confessio. Verum ita ubique inquit, ubique captat occasiones deprimentæ auctoritatis Pontificiæ, tam inconsiderato, ne dicam tam temerario scribit stylo, tam frequentibus, tamque iniquis verbis insectatur sanctæ Sedis defensores, ut quilibet æquus Lector animadvertat, non solum ipsius opinionibus nullam deferendam esse auctoritatem, sed etiam diligentius, & absque præiudicio examinanda esse quæcumque ab eo proferuntur, ne conjecturis ejus, aut interpretationibus in errorem pertrahatur: sed proferenda sunt præcipua quædam exempla.

2. Licet autem in declaratione Comitiorum Cleri Gallicani distinguatur propositio de comparatione Papæ ad Concilium, ab alia de non errandi privilegio, tamen Launoiius ita connexas esse arbitratur, ut separari nequeant, aut non debeant. Itaque illas aliquando quidem distinguit, aliquando promiscuè tractat. Quæ circa utramque ex Summis Pontificibus eorum auctoritati opponit, præcipua hæc sunt.

3. Epist. 7. tom. 1. ait, illam epistolam, quam Siricius Romanus Pontifex de Bonosi rebus in Capuana Synodo gestis ad Anysum & alios Illyrici Episcopos perscripsit, antiquitatis sacra monumentum esse omni auro pretiosius, & in Ecclesiastica historia, quo satis aestimetur, reperiri nihil. Rationem addit; Nam Siricius in epistola id unum statuit, & confirmat, quod gravissimis quibusque de Romano Pontifice quæstionibus fieri solitis finem imponit. Non est igitur opus, etiamsi vacaret, reliqua omnia prosequi, quæ in octo epistolarum tomis congestis, siquidem istud unum gravissimis quibusque de Romano Pontifice quæstionibus fieri solitis finem

P p im-

*imponit. Si istud unum Ecclesiasticorum Annalium loca sexcenta, quibus
Auctor (Baronium intelligit) Romanum Pontificem supra Concilia omnia
statuit, & sacrorum Canonum derogatorem facit amplissimum, funditus erui-
tit; cætera tanti esse momenti non possunt.*

4. Anno 391. aut 392. habitum est Capuæ Concilium, in quo de componendo schismate Ecclesiæ Antiochenæ tractatum est: quod negotium, cum propter partium, aut saltem unius ex illis absentiam, definiri non posset, Theophilo Patriarchæ Alexandrino commissum est: actum etiam fuisse dicitur de Bonoso Episcopo Naresitano de hæresi accusato, ejusque causam Anytio Thessalonicensi, & aliis Episcopis Macedoniæ delegatam esse. Item de alio Episcopo nomine Basso. Primum constat ex litteris S. Ambrosii ad Theophilum; secundum, & tertium ex litteris Papæ Siricii, ad Anysium & cæteros Episcopos titulum præferentibus, infert Launoius.

5. Dissidium Ecclesiæ Antiochenæ narrat Theodoretus, Socrates & Sozomenus. Theodoretus Flaviano uni ex contendentibus magis favet: Socrates autem, & Sozomenus Paulino ejus Antagonistæ, & Evagrio Paulini successori, Launoius Theodoretum libentiùs sequitur: quia nimirum hic à Flaviano ita stat, ut ejus encomia potius quam historiam scribere videatur, contra sentiente Romano Pontifice, ac etiam totâ Ecclesiâ Occidentali, quam constat cum pluribus Ecclesiis Orientalibus Paulino & Evagrio favisse adversus Flavianum, qui privatam commodum aut honorem publicæ paci anteposuerat. Cum enim constitutum fuisset, & juramento firmatum, ne cum alter eorum, qui de Ecclesiâ Antiochena tunc disceptabant, scilicet Meletius, aut Paulinus, mortuus foret, successor præmortuo daretur; sed solus ex illis superstes regimen integrum susciperet; Flavianus tamen, qui unus fuerat ex iis qui Sacramento sese obstrinxerant, eam dignitatem post mortem Meletii contra juramenti religionem assumpsit; ac pertinaciter retinens schisma diu prorogavit. Paulinus nihilominus Launoii suffragio erat indignus, utpotè à Legato Romani Pontificis constitutus Episcopus. Sed de hoc articulo obiter tantum tractat Launoius.

6. Conatur verò in primis probare, non Siricium Papam, sed sanctum Ambrosium Concilio Capuano præfuisse. Non
ex.

explicat autem an Siricius per suos Legatos interfuerit, aut ejus intervenerit autoritas. Utrumque videtur tacite ac indistinctè negare. Sed quæro quâ autoritate poterat Concilium particulare sub Episcopo Mediolanensi congregatum de Ecclesia Antiochena judicium ferre. Nonne jam à Conciliis Nicæno, Antiocheno, & Constantinopolitano strictissimè cautum fuerat, ut cujusque jurisdictio intra proprii territorii limites cohereretur. Jurisdictio superioritatem involvit: quis autem Antiocheno Episcopo superior erat, præter Romanum Pontificem? Alexandrinus quidem honore Antiochenum præcedebat; sed ei jurisdictio non præerat, & si quidem præfuisset, non indignisset Theophilus Patriarcha Alexandrinus, ut negotium à Concilio Capuano sibi committeretur: si autem Patres Capuani non Judices, sed amicos pacis communis studiosos se præstabant, quid inferret Launoius ex absentia Siricii adversus sanctæ Sedis jurisditionem?

7. At, inquit, *Ambrosius potissima quaque exequitur*. Scripserat quidem S. Ambrosius Theophilo, sed Synodi nomine: rescripsit ei Theophilus; nempe cum jam amplius non esset congregata Synodus, scribenti sibi respondit. Num Patriarcha Alexandrinus, qualis erat Theophilus, ad indebitam auctoritatem usurpandam paratior, quàm ad propriam Dignitatem demittendam, jurisditionem ab Episcopo Mediolanensi, vel etiam à Concilio particulari recepisset; nisi accessisset major, Romani scilicet Pontificis potestas.

8. Sed suspectus, inquit Launoius, erat Siricius, quia Flaviano minus favebat. Eadem ratione non debuit S. Ambrosius Concilio interesse, nedum non præsidere. Certum enim est, non solum Romanum Pontificem, sed etiam omnes Occidentales, & plures etiam Orientales Flaviani ordinationem improbasse. Quid quod etiam Theophilus suspectus fuisset, contra id quod asserit S. Ambrosius, & ipsius auctoritate nixus Launoius? Nam Theodoretus, cujus testimonium cæteris præfert modò dictus Launoius, narrat lib. 5. histor. cap. 23. ordinationem Flaviani non solum Romanos, sed etiam Ægyptios diu infensos reddidisse Orientalibus. Erat autem Theophilus Alexandria, atque aded totius Ægypti

lib. C
 de
 r. lib.
 de gallicana
 Conc
 231

300 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
Patriarcha. Verùm aliud est odium privatum, quod Iudices
plerumque excæcat; aliud Ecclesiasticæ disciplinæ zelus;
quo ducebantur Siricius, Ambrosius, Theophilus, de quo-
rum commodo non agebatur.

9. Sive autem Siricius Concilio Capuano præfuerit, sive
ab eo abfuerit, S. Ambrosius in illa ipsa epistola, quam re-
fert Launoius, apertissimè significat debere Theophilum ne-
gotium ad Romanum Pontificem referre, atque ita iudicare,
ut iudicium ei probetur, alioquin rejectum etiam iri à cæte-
ris Episcopis Occidentalibus. Sic enim epistolam concludit;
SANE REFERENDVM ARBITRAMVR AD SANCTVM FRATREM
NOSTRVM ROMANÆ SACERDOTEM ECCLESIAE, quoniam præ-
sumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim at-
ter erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas. si id vestro statu-
tur Concilio, quod communioni nostræ dissensionem non adferat, ut nos quoque
accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ec-
clesia Romana haud dubiè comprobaverit, læti fructum huiusmodi examinis ad-
piscamur. Quid tantoperè Ambrosio curandum erat, ut nego-
tium ad Romanum Pontificem à Theophilo referretur, & ni-
hil quod ei displiceret decerneretur? Si enim, ut postea
dicit Launoius, Siricius ipse agnoscebat Concilii Capuani
autoritatem suâ esse superiorem; facilè poterat in ordinem
redigi; dum iustam, licet sibi minùs gratam, sententiam
comprobare recusaret.

10. Sed veniamus ad epistolam, quâ putat acutus censor
gravissimis quibusque, de Romano Pontifice questionibus fieri solitis, finem im-
poni. Est autem epistola huiusmodi; Dilectissimis fratribus Anghæ,
& cæteris Episcopis per Illyricum constitutis, Siricius. Accepi litteras vestras
de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram senten-
tiam sciscitari voluistis. Sed cum huiusmodi fuerit Concilii Capuensis iudicium,
ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus Iudices tribuerentur, & præcipue
Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent,
advertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra es-
set hodie Synodus, rectè de iis, quæ comprehendit vestrorum scripturam series
decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam fieri
de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi vel accusatoribus vel accusato co-
piam dare. Vicem enim Synodi recepistis quos ad examinandum Synodus elegit.
Denique cum Bonosus Episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum
Am.

Ambrosium, qui eius sententiam consulere interdixit sibi Ecclesiam irrumperere atque ingredi, responsum est ei, quod nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis iustitia convenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideo primum est ut ii iudicent, quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos QUASI EX SYNODI AUCTORITATE IUDICARE NON CONVENIT.

11. Falso hanc Epistolam tribui Siricio probat Joannes David Doctor Parisiensis in libro de iudiciis Canonicis Episcoporum cap. 10. art. 4. duplici ratione. Prima quod in illa Epistola nulla fiat mentio damnationis jam factæ à Siricio, & à Concilio Mediolanensi, erroris Joviniani virginitatem Deiparæ negantis, quem sequebatur Bonofus, sed ejus iudicium omninò Episcopis Macedoniae permittatur, quasi summi Pontificis hac de re sententia ab Ecclesia Occidentali recepta nullius esset momenti: imò autor Epistolæ hæresim illam confutet, tanquam antea nunquam damnatam. Secunda, quia ejus doctrina minus habet soliditatis, quam ut Siricio, vel etiam alii Romano Pontifici adscribenda videatur. Verum, ne nos Launoium imitari videamur, qui ea quæ sibi videntur incommoda, facillè falsi accusat, supponimus eam Epistolam esse Siricii, sed eam sanctæ Sedis Dignitati consulere, nedum non obesse demonstramus.

12. Launoius verba illa Siricii; sed cum hujusmodi fuerit Concilii Capuensis iudicium, &c. glossatur in hunc modum; simplex, & ingenua est Siricii Confessio, quæ non Capuensis modò Concilii, sed etiam delegatorum à Concilio iudicium auctoritas Romani Pontificis auctoritate superior exhibetur. Sed quis non videt glossam à textu esse alienissimam? Nusquam Siricius insinuat Concilii Capuani, aut ejus delegatorum auctoritatem esse suâ superiorem: nec ea potuit ei cogitatio in mentem venire; nisi fortè oblitus esset, se Romanum Pontificem esse; hoc est Petri successorem; Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput. Non fatetur Siricius se nullo modo posse iudicare de causâ Bonosi. Nam saltem per appellationem poterat ejus esse Judex, ut à Concilio Sardinensi jam declaratum fuerat; quod satis erat, ut se superiorem meminisset. Non enim appellatur nisi à minore ad majorem:

jorem : solum igitur significat Siricius sibi *judicandi formam competere non posse* ; id est non posse judicare tanquam à Synodo delegatum , ut inferius explicat his verbis ; *Nos quoque ex Synodi auctoritate iudicare non convenit.*

13. Decebat ut qui à Synodo deputati fuerant , sententiam ferrent ; non decebat autem ut summus Pontifex , se illis adjungens , *quasi ex Synodi auctoritate judicaret.* Non tamen reformandi iudicii , si opus foret , auctoritati renuntiabat Siricius ; imò se illam sibi reservare insinuabat hac voce , *primum. Ideò , inquit , primum est ut ii judicent , quibus iudicandi facultas est data.* An major erat Thessalonicensi Episcopo auctoritas collata , quam Patriarchæ Alexandrino , quem supra vidimus à sancto Ambrosio monitum , ut referret iudicium suum ad Episcopum Romanum , & ut talè daretur , quod ei non displiceret ; sed potius ab Ecclesia Romana comprobaretur.

14. Licet autem Siricius circa Bonosi personam iudicium integrum deputatis reliquerit , eo quod audiendi essent accusatores , reus , & testes ; tamen circa dogma sententiam tulit. Nam post verba supra relata sic prosequitur ; *Sane non possumus negare de Maria filius iure reprehensum (Bonosum) meritoque vestram sanctitatem abhorruisse , quod ex eodem utero virginali , ex quo secundum canonem Christus natus est , alius partus usus sit , &c.* Sed , inquit Lanoius , ad distinctionem recurrens , quam alibi deridet , *quod Siricius ut Iudex facere non potuit , facit ut privatus Theologus.* Si errasset Pontifex in illa responsione , quot probra conjecisset Lanoius in scriptores , qui cum ut *privatum Theologum* respondisse dixissent ? Non nisi ex Cathedra posse definire Pontificem de rebus fidei consultum à Judicibus per celebre Concilium deputatis , contendisset. At verò quia Romani Pontificis auctoritas in eo elucet , quod Delegati à Concilio Capuensi non sint ausi iudicium ferre , nisi postulata circa omnia Siricii sententià ; Siricius autem dogma fidei determinaverit , & quæ ad factum , seu crimen pertinebant , ipsorum examini remisit , ut juxta Concilii Decretum de illo judicarent ; *Cum huic consensu fuerit Concilii Capuensis iudicium , ut similes Bonoso atque ejus accusatores Iudices tribuerentur , & præcipuè Macedones , qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis vel cognoscerent : Pontifex non jam ut Pontifex , sed ut privatus Theologus locutus dicitur.*

15. Sed quo fundamento nititur hæc Launoi sententia? Siricius, inquit, in postrema Epistola clausula significat, se definire nihil quod ad Ecclesie dogma referatur, sed expectare quid Delegati à Capuana Synodo Judices definituri sint. Sed quomodo definit nihil, qui, ut ait paulò antea Launoius, opinionem quæ Bonoso tribuebatur, scripturis, & rationi contrariam esse ostendit? Scilicet quia hoc facit ut privatus Theologus. Quid ergo facit ut summus Pontifex? Expectat quid delegati à Capuana Synodo Judices definituri sint. Unde hoc habet Launoius? Ex eo, quod Siricius suam Epistolam his verbis concludit; Legimus etiam & omnia percurrimus, vel de eo, quod fratris nostri, & Coepiscopo Basso in consortium regenda Ecclesia datus est sententio, vel de cæteris, unde vestra normam expectamus sententio. Atquæ in his verbis agitur de alio negotio, nempe de Coadjutore dato Basso, non de dogmate fidei. Cur ergo illa verba, vel de cæteris, referantur ad doctrinam Bonosi, de qua jam loqui desierat.

16. Sed concedamus, etiam de Bonoso esse illa intelligenda: ad quid Siricius delegatorum à Concilio normam expectat sententio? Addit Launoius; Ad quam nimirum & Siricius & cæteri fidem suam dirigant. Papa igitur, qui ut Theologus privatus delegatis à Concilio suam opinionem exposuerat, ut Summus Pontifex ad eorum sententiæ normam fidem suam dirigere tenebitur; Nec solus Siricius, sed etiam cæteri. O mira autoritas! Ergone qui à Concilio particulari deputantur, ut de unius Episcopi factis cognoscant, tam insigni gaudent non errandi privilegio, ut Romanus Pontifex & cæteri ad eorum sententiæ normam fidem dirigere teneantur? Tota ergo Ecclesia illis suberit. Eam enim repræsentant Siricius & cæteri. Parum curat Launoius, ut autoritas suprema reservetur Concilio generali, dummodo Romano Pontifici adimatur. Ut submittatur Papa deputatis à Concilio particulari, cæteros etiam eis subiciet. Ita est affectus erga sanctam Sedem: Ita æquus habendus est ejus potestatis Judex.

CAPUT XVIII.

Respondetur aliis quibusdam Launoi objectionibus.

1. **S**I fortissimum Launoi propugnaculum corrui, hoc est, si id unum quod ex ejus mente gravissimis quibusque de Romano Pontifice questionibus fieri solitis finem imponit, Pontificis auctoritatem non lædit, ut superiori capite vidimus, parum metuenda sunt reliqua ejus tela. Itaque ne à proposito nobis scopo longius recedamus, cunctis, quæ ille per plures annos commentus est adversus sanctam Sedem, non opus est respondere. Ex iis quæ confutavimus satis intelliget Lector, quale sit illius Scriptoris ingenium, quale adversus Romanam Curiam ejus studium; ne odium dicam. Plurima ex iis, quæ scripsit Launoius, ab aliis jam scripta, sed ab aliis etiam confutata fuerant, vel fuerunt postea. Itaque nonnulla tantum hic expendemus vel ab illo frequentius inculcata, vel ab aliis prætermissa.

2. In eadem epistola septimi tomii, & in aliis congregat plurima Summorum Pontificum testimonia, ut probet ipsos Conciliis subesse: sed ex illis non aliud quidquam colligitur, quam Summos Pontifices Canonum custodes & vindices acerrimos fuisse; unde constat, quod lib. 1. cap. 12. notavimus, Canonum custodiam, Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in ea ponit suas libertates, non esse propriam, imò veritas Libertates Ecclesiæ Romanæ posse nuncupari. Ne cui autem difficultatem facebant illa verba, quibus significari videtur, non posse Summos Pontifices Canonibus derogare, animadvertendum est, quadrifariam secundum Juris interpretes aliquid fieri non posse. Primò validè. Secundò licitè. Tertio honestè. Quarto utiliter. Itaque in omni negotio attendendum monent, non solum quid fieri valeat, sed etiam quid liceat, quid deceat, quid expediat. In hujusmodi ergo Pontificum testimoniis, in quibus aliquid fieri non posse dicitur (quæ pauca sunt) ex materia, & ex ipso contextu judicandum est, quis ex illis quatuor sensibus accipiendus sit.

3. Pri-

3. Primo loco citat Julii epistolam ad Orientales; in qua hæc verba habentur; *Id verè ad Synodi tantum & Episcoporum, qui in Synodo fuerunt, contumeliam vergeret, si qua illi tanto studio & curâ velut Deo presente egissent, à nobis ut vana futiliaq; abrogarentur.* Hæc verba à quolibet superiore convenientissimè dicerentur. Nam etiam Concilium Oecumenicum de iusto unius Episcopi iudicio sic loqueretur; *Id verè ad talis Episcopi contumeliam vergeret, si qua ille tanto studio & curâ velut Deo presente egisset, à nobis ut vana futiliaque abrogarentur.* Itaque illa rei iudicatæ aut statutæ iustitiam arguunt, non autem defectum potestatis, ad eam retractandam, si minus iusta esset.

4. Eandem autem reverentiam Romani Pontifices suorum Prædecessorum Decretis, quam Conciliorum statutis exhibebant, ut animadvertere licet in his verbis Liberii; quæ ex ejus ad Constantium Imperatorem epistola citat deinde Launoïus, *Nonquam mea statuta, sed Apostolica, ut essent semper firmata & custodita perfecti, secutus morem majorum nihil addi Episcopatu Urbis Romæ, nihil minus passus sum.* Addit Launoïus; *Hæc adeo sunt perspicua, ut explicatione nullâ egeant.* Perspicua quidem illa sunt. Sed quid inde? Si enim Apostolica Statuta intelligantur, ut ex contextu videntur intelligenda, quæ ab Apostolis sunt constituta, non faciunt ad comparisonem Pontificis cum Concilio: si accipiantur de Summorum Pontificum Decretis, eorum firmitas statuitur contra Launoïum. Porro sicut absurdè concluderetur, unum Pontificem esse Prædecessore suo minorem, ex eo quod ejus statuta firmaret, custodiretque: ita ex eo quod Pontifices Conciliorum Canonibus se adhærere profitentur, malè colligitur illos esse Conciliis inferiores. Prosequitur Launoïus; *Sed si quæ (explicatione) egerent, hæc in Constantii & Liberii Dialogo habentur, ex quo citat sequentia; Imperator: unum est, quod queritur. Volo enim te, ubi Ecclesiarum communionem fueris amplexus, mittere iterum Romam, proinde consule paci & subscribens Romam redi. Liberius: Roma jam statibus valedixi. Hactenus nihil est, quod verba superius relata explicet ad mentem Launoïi; fortè lux affulgebit in verbis sequentibus, quæ Launoïus grandioribus characteribus signat; Potiores sunt Ecclesie leges quàm Romana habitatio. Numquid peremptorium tibi videtur enthymema; Potiores sunt leges Ecclesie quàm Romana habitatio:*

Q9

Ergo

Ergo Papa subjacet Concilio : vel, ergo Papæ judicium in quæstionibus Fidei non est irreformabile : quia præstat Ecclesiæ legibus obtemperare, quàm Romæ commemorari, Concilium Papæ præceminet. Sed probat consequentiam Launoii, *Nempè, inquit, inauditum à se Episcopum, & ab Adversariis injustè tractatum condemnare non poterat. Neque Concilium Oecumenicum id posset, quia jus naturale ac Divinum violaret, si inauditum à se Episcopum, & ab adversariis injustè tractatum condemnaret. Quid etiam inde sequitur?*

5. Cælestinus (ut in illis tantum immoremur, quæ aliquid difficultatis præ se ferunt) scribit ad Episcopos Illyrici, quod refert Launoius, *Dominentur nobis regule, non regulis dominemur : simus subiecti Canonibus, cum Canonum præcepta servamus.* In Concil. Rom. collect. bipart. Lucæ Holstenii num. 13. quæ verba videntur Romanum Pontificem Canonibus, atque adeò Conciliis, à quibus conditi sunt Canones subdicere. Sed integram epistolam legenti patet, Cælestinum, licet de se, sicut de aliis præ modestia loquatur, tamen hæc in se transfigurasse, ut ex illo Episcopi discerent, non plus sapere, quàm oportet sapere. In illa enim epistola Ruffinum Episcopum Thessalonicensem Vicarium Apostolicum per Illyricum constituit. Ita ut, inquit, ad eum quidquid de causis agitur referatur : sine ejus consilio nullus ordinetur, nullus usurpet eodem in consilio commissam illi Provinciam. Colligere, nisi cum ejus voluntate Episcopi non præsumant : per eum etiam ad nos si quid est referatur. Probat autem necessitatem constituendi Vicarii ex eo, quod ad Romanum Pontificem spectet servandos Canones curare; quos violandos paulò antè fuisse commemorat, nisi ipse occurrisset. *Quorundam, inquit, accusantium factione frater & Coepiscopus noster Felix, si non nostra intervenisset diligentia, fuisset oppressus. Insuper præstandam sibi obedientiam. Ita enim, inquit, ordinatio cuncta se habet, ut majoribus ea que sub his esse docentur, obediant, & in hoc gradu regularum cuncta vertuntur.* Deinde probatâ suâ, tanquam S. Petri successoris autoritate, addit; *Dominentur nobis regula, &c.* Unde constat regulas illas esse, de quibus paulò antè dixit; *Et in hoc gradu* (ut scilicet inferiores majoribus obediant) *regularum cuncta vertuntur.* Atque adeo hæc ad Episcopos referenda, quamvis, ut diximus, Cælestinus præ modestia se illis adjungat. Is etiam

etiam sensus colligitur ex verbis immediatè sequentibus. *Sunt culpe aliquantæ non leves, quæ illis imata Provinciis ad nos, cum finnis longius, non possunt pervenire, &c. quæ innuunt, Cœlestinum de servandis in Illyrico Canonibus sermonem facere.*

6. Sed etsi hæc verba de se Summus Pontifex protulisset, ex iis tamen non concluderetur, Summum Pontificem Conciliis subjacere. Cum enim Canones aliquid Divini, aut naturalis juris admixtum plerumque habeant, tenetur quilibet ex ipsa justitia naturali aut ex lege Divina observare, quod juris naturalis aut Divini est. Ita in aliis testimoniis quæ à Launoio adducuntur, ut ostendat, Pontifices sese Canonibus subiectos agnovisse; subiectio illa petitur ex rerum decretarum justitia: &c, si quando etiam conditorum fit mentio, eo tantum spectatur, ut ex ipsorum numero, doctrina, vel sanctitate insinuetur, ipsos veritatem assecutos. Quamobrem aliunde Launoio conquirendæ essent probationes illius subjectionis.

7. Post Cœlestinum producit hoc Sixti III. testimonium ex epist. ad Episcopos Illyricenses in collect. Rom. ubi supra num. 17. *Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentetur, firmitatem & vigorem suum perdit, & non tenet quam habuerat dignitatem.* Sed hæc verba etiam seorsim sumpta, non minus Pontificis, quàm Concilii autoritatem significant. Nam si corpus capite regitur, Ecclesia regitur à Pontifice, atque adeo qui regit, ei, quæ regitur præminet. At si quis legat integram epistolam, fieri non poterit quin Pontificem illuc Concilio præferri animadvertat. Creat enim Sixtus Episcopum Thessalonicensem Vicarium Apostolicum cum multis prærogativis, quarum una est, ut Episcopos in Concilium evocet; qua occasione hæc scribit, quæ certè significant, Pontificem non subjacere Concilio. etiam Generali; intelliguntur enim de Concilio Ephesino secundum Holstenium; *Nec his vos fratres causam constitatis, quæ præter nostra præcepta Orientalis synodus decernere voluit, credatis teneri; præter id quidem quod de fide nobis consentientibus iudicabit.*

8. Non est prætermittenda Innocentii III. autoritas, quam tum in eadem epistola, tum alibi, ut magni momenti ponderat Launoius. Is lib. 3. Regest. 15. epist. 104. sic scribit

Qq 2 ad

308 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
ad Philippum Augustum Regem Franciæ divortium inter se
& Reginam fieri postulantem; *Si super hoc absque Generali delibera-
tione Concilii determinare aliquid tentarem, præter Divinam offensam, &
mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsitan ordinis & officii
nostri periculum immineret, cum contra præmissam veritatis sententiam (quod
Deus conjunxit homo non separet) nostra non possit auctoritas dispensare.* Inno-
centius, ut Launoio videtur, in his verbis dogmata concilii duo,
potestatem se Concilio minorem habere, & non errandi privilegio se carere, qui
Concilio tribuit. Verum si res, de qua est sermo, imo si vello-
la verba relata expendantur, nemo facile assentietur Launoio.
Agitur enim de dissolvendo matrimonio ritè celebrato ac consu-
mmato, quod jure Divino nequiquam obscuro, est insolu-
bile. Veritatis enim Oraculum est, quod Deus conjunxit homo non
separet. De illo ita non dubitabat Innocentius, ut metueret,
ne si dispensationem à Philippo petitam concederet, adver-
sus legem illam Divinam agens, de hæresi habendus esset
suspectus, atque adeo à sua Dignitate deponendus.

9. Non erat igitur quæstio de exponendo aliquo dubio,
circa quod requireretur aut Papæ aut Concilii iudicium. Est
enim adeo certa veritas, ut si quis illam indirectè, ac quali-
interpretativè, puta concessa contra illius prohibitionem dis-
pensatione negaret; ei, præter Divinam offensam, & mundanam in-
famiam, forsitan ordinis & officii sui periculum immineret. Qua igitur ra-
tione infert Launoius, Innocentium docere, non errandi privi-
legio se carere; illudque Concilio tribuere? Num dubitabat Ponti-
fex an ex jure Divino esset insolubile matrimonium legitime
contractum & consummatum; illudque definire non ausus,
ne fortè erraret, causam censebat ad Concilium Generale,
utpotè Judicem infallibilem deferendam? Quodnam erat cir-
ca fidem dubium, cujus occasione posset hoc privilegium sibi
abnuere, ac Concilio adscribere! Num etiam se super Regis
ac Reginæ matrimonio dispensare non posse agnoscens, pro-
fitetur Concilium Generale illà potestate præditum, atque
adeo Papà majus esse? Num quod Deus conjunxit, separari
potest à Concilio Generali?

10. At, inquires, timet Innocentius, ne si super hoc absque Ge-
neralis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaret, ordinis & officii sui
periculum immineret. Ergo si cum Generalis deliberatione Concilii determina-
ret,

ret, tale periculum non immineret; atque adeo Concilii potestatem suā majorem agnoscit. Impossibilis quidem est illa suppositio. Nec enim potest summus Pontifex cum Concilio Generali determinare aliquid contra jus Divinum, quale esset istud. *Id, quod Deus conjunxit, homo potest separare.* Si tamen hoc per impossibile contingeret, tutus esset Pontifex à depositione propter assensum Concilii Generalis. A quo enim timeret ne deponeretur? Ideo ne Pontifex Concilio absolutè se subditum fateatur?

11. Urgebis ex iis saltem verbis inferri, posse aliquando deponi Pontificem; atque adeo inferiorem esse Concilio, ad quod spectaret ejus depositio. Docent quidem Doctores quamplurimi, Papam, si hæreticus foret, à Concilio exautorari posse. Sed sophisma est Launoii, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter argumentantis, dum absolutè concludit Pontificem esse Concilio inferiorem, quia in casu hæresis Concilio subiectus conceditur ab aliquibus; aliis, Papam in hæresim publicè incidere atque in ea pertinaciter permanere, (quod ad ejus depositionem requireretur) posse negantibus; aliis denique in eo casu ipsum, Ecclesiæ membrum, multò magis caput, atque adeo Pontificem esse definere, nec ab Ecclesia deponendum, sed depositum declarandum asserentibus. Malè igitur ex casu impossibili, vel incerto, vel rarissimo statueretur regula generalis.

12. Et quod mirum est, aliqui ex iis Autoribus, quos contra summum Pontificem producit, in illis ipsis verbis, quæ profert, ejus sophisma dissolvunt. V. g. in epistola penultima ejusdem tomi primi, Umberti Prædicatorum Magistri Generalis quinti testimonium allegat, affirmantis Ecclesiam totam subesse summo Pontifici, nisi in casu, quo esset hæreticus. Hæc enim sunt ejus verba sermonum didacticorum par. 2. serm. 70. à Launoio exscripta; *Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, quæ tota subest ei, IN CASU.* Nonne hæc verba (IN CASU) subjectionem Generalem excludunt? Quamobrem contra se pugnat Launoius, cum prolato illo testimonio adjungit; *Hæc ille tantum perinde ac si de hac thesi inter omnes convenisset, ut certè & illo, & superiori tempore conveniebat, doctrinam hæc Parisiis, & Bononia acceperat, &c. Conveniebat ergo inter omnes præsertim Parisiis, & Bononia, Papam esse super omnes & totam Ecclesiam subesse*

L. C.
 r. 11. 12.
 Gallie
 III
 231

310 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS, &c.
ei, nisi IN CASV. Si deprimendæ Pontificiæ autoritatis ar-
dor Launoium non perturbasset, hæc & alia similia sibi ad-
versari vidisset.

13. Abstinuisset Launoius à commendanda Umberti au-
ritate, ejusque laudanda sententia, tanquam Parisiis & Bo-
noniæ consentienter recepta, si ejus testimonium apud Au-
torem ipsum lectum aut legendum putasset: Ibi enim Um-
bertus nonnisi ex occasione scripsit, Pontificem posse deponi
ab Ecclesia *in casu*. Sed præterquam quod asserit, quod *tota*
Ecclesia subest Pontifici, totus ille sermo est de Principibus ab Ec-
clesia deponendis. Ejus titulus est; *sermo in solemnibus depositione mag-
natum secularium per Ecclesiam facienda*. Inter alia autem argumenta,
quibus probat Principes ab Ecclesia posse deponi, adducit
istud; *Papa, qui est super omnes, potest deponi ab Ecclesia, qua tota subest*
ei, IN CASV: *additq; continuo, ergo multo fortius QVICVMQVE REX*
DEPONI POTEST A PAPA, CUI OMNES SVBSVNT. Ergo jux-
ta mentem Umberti Papa potest deponere quoscumque Prin-
cipes. Si tota Ecclesia subest: ipse *in casu* tantum deponi po-
test. Vide quantum præsidii suppeditet Umbertus Launoio,
& ejus affectis.

14. Innumeris propemodum in locis repetit Launoius,
Pium secundum etiam in diplomate, quo retractavit senten-
tiam, quæ Concilium supra Pontificem statuit, declarasse,
illam esse antiquam: ac super eo fundamento mirificis laudi-
bus antiquitatem commendat: sed causam deploratam defen-
dere se prodit, qui tam miseris eam tueri nititur argumentis.
Pius enim, ut ejus diploma tranquilla mente legentibus pa-
tet, sententiam illam *antiquam* vocat, non absolute, sed quan-
tum ad se; quia nimirum illam olim propugnauerat, & ab
ea tardiùs quàm Cardinalis Julianus recesserat. *Tuebamus*, in-
quit Pius, *antiquam sententiam*; ille (Julianus) *novam defendebat*.
Extollebamus Generalis Concilii autoritatem; ille *Apostolica Sedis potestatem*
magnopere collaudabat. In eo sensu illum, antiquam appellare sen-
tentiam tum alia multa explicant, tum ea quæ immediatè præ-
cedunt: *Sape, inquit Pius, cum eo (Juliano) sermonem pro veteri*
*consuetudine miscuimus, sape de rebus Basileensibus disputavimus. Tuebamur an-
tiquam sententiam, &c.* Eo igitur modo erat *antiqua sententia*, quo
erat *vetus Pii consuetudo miscendi sermonem cum Juliano*.